CENSURA
VETERUM
SCRIPTOR

JOANNIS
HARDUIN

0=10 £K.

Très rare ouvrage, dont le débit fut arrêté par ordre supérieur (Brunet)

# JOANNIS HARDUINI, JESUITÆ, AD CENSURAM Scriptorum Veterum PROLEGOMENA.

JUXTA AUTOGRAPHUM.

LONDINI,
Sumptibus P. VAILLANT.
MDCCLXVI.

# Lectori S.

QUALEM ſententiam Joannes Harduinus de pleriſque, ut perhibentur, Veterum ſcriptis tulerit, jam dudum ex operibus ejus innotuit. Ex quo Plinium ediderat A. D. 1685, ejus auctoris admiratione adeo videtur perculſus, ut cæteri fere omnes præ illo ſorderent: mox nihil antiquitatis ſincerum crederet, niſi cujus veſtigia ibi non deprehenderet. Hac trutina non ſolum priſcorum ſæculorum fidem librat, verum etiam ſtylum et eloquentiam. "Habebant, inquit, illi [impia cohors] "idoneos artifices omni ſtylo. Latinitas "tamen in omnibus a PLINIANA, aliaque "ſimili vetere longe diſcrepans [a]."

IPSE ſane quibus gradibus morbus iſte animi ingraveſceret, in hoc libello narrat: "Nos menſe Auguſto, anno 1690, cœpi-"mus in Auguſtino et æqualibus fraudem "ſubodorari; in omnibus menſe Novem-

[a] Proleg. p. 15.

"bri ſuſpicati ſumus; totam deteximus "menſe Maio, anno 1692, prolixis ex ſin-"gulis ſcriptoribus Græcis Latinisque ex-"cerptis deſcriptis [*b*]."

Circa id igitur temporis, tanquam ſi in tertium uſque cœlum jam raptus eſſet, caute et perſonatus nuntium inenarrabilem, certe haud credibilem, profert: "Afferam," inquit, "hoc loco non inanis quidem ſem-"per conjectoris, ſed nunc tamen plus "juſto fortaſſis ſuſpicioſi, ingenioque ni-"mium indulgentis hominis conjecturam. "Accipiet quisque ut volet. Deprehendit "ille, ut quidem muſſitabat nuper nobis-"cum, cœtum certorum hominum ante "ſæcula neſcio quot exſtitiſſe, qui hiſtoriæ "veteris concinnandæ partes ſuſcepiſſent, "qualem nunc habemus, cum nulla tum "exſtaret: ſibi probe notam illorum æta-"tem atque officinam eſſe; inque eam "rem iſtis ſubſidio fuiſſe, Tullium, Pli-

[*b*] Proleg. p. 15.

"nium,

" nium, Maronis Georgica, Flacci Sermo-
" nes et Epiſtolas: nam hæc ille ſola cenſet,
" quod vereor ut cuiquam ſuadeat, ex omni
" Latina antiquitate ſincera eſſe monu-
" menta, præter inſcriptiones admodum
" paucas [*c*]." Pullulaſſe denique aït hanc largam fictionum ſegetem ſeculo quartodecimo [*d*].

Novum iſtud dogma ut non erat ſenectæ ſuſpicioſæ delirium, ſed maturæ ætatis fœtus, ad annum quinquageſimum nondum provectæ; ita quoſdam ex Loyolitarum gente id monſtri aluiſſe, erant qui multis argumentis probare niterentur. Poſtquam enim per annos quoſdam ſusque deque ſpargeretur, Dominus La Croze publice teſtatus eſt autorem ſummo honore a fratribus habitum; adeo famæ ejus et ſuæ ſecuris, ut novæ editioni conciliorum procu-

[*c*] Chronologiæ ex Nummis Antiquis reſtitutæ Proluſio de nummis Herodiadum, in notis, ſub ann. LI. Permiſſio datur 1692.

[*d*] Proleg. p. 14. 16. 18. &c.

randæ eum præficerent: totius familiæ cordi eſſe veteribus monumentis pretium deterere, et quæ pro certis eſſent habita, incerta reddere: eo forſan conſilio Germon Jeſuitam Mabillonii Benedictini librum de re diplomatica, maxima laude ab omnibus receptum, oppugnaſſe; quem P. Couſtant itidem Benedictinus propugnavit; idemque certamen noſter mox redintegrat, p. 73. Tantus eſt ordinum inter ſuos fraternus amor! Hæc ſi ſecum reputaſſet Middletonus noſtras [*e*], vix, credo, tam fidenter contra Chapmannum ſponderet Harduini commenta non eſſe niſi unius Jeſuitæ veternoſi ſomnia, ab omnibus ludibrio habita, et habenda.

Ut ut illud ſit, exprobratio iſthæc a Domino La Croze profecta A. D. 1707, hoc effecit, ut eopſe anno Harduinus opiniones, quas Superiorum permiſſu in lucem ediderat, eorundem juſſu retractarit. Diſſimulaſſe vero, non mutaſſe ſententiam, ex hoc opere poſthumo abunde patet; ubi,

[*e*] An Introductory Diſcourſe to a Larger Work, P. S.

ut antea, bis triplicem ſolummodo veterum ſcriptorum turbam in vaſto temporis gurgite ſupereſſe docet. "Servavit antiquitas "duntaxat e Latinis PLAUTUM, Plinium, "Virgilii Eclogas novem cum Georgicis; "Horatii Satyras et Epiſtolas: e Græcis "Homeri Iliada et Odyſſeam, et Herodoti "libros novem [*f*]."

CERNIS, lector, indiculum hunc expurgatorium a priori aliquantum diſcrepare. Latinorum ſcriptorum convenit numerus, unica vero commutata perſona; qua in re doleres viri inconſtantiam et humanitus aliquid patientis, niſi dolus malus et artes inhoneſtæ elucerent, quæ bilem moveant magis quam veniam efflagitent. Inter varia nova tentamina, Plinio ſuo, famæ, ſcilicet, et nomini ejus conſulens, patriam abjudicarat; cum enim ille annos NOSTRÆ urbis ſæpius memorans Romam intelligat, Romanus, inquit [*g*], erat, non Veronenſis.

[*f*] Proleg. p. 196. [*g*] Chronol. V. T. ſub anno U. C. 608.

 Huic

Huic La Croze Ciceronis iſtud objicit; "Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias; unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum "eſſet Tuſculi natus, in Populi Romani "civitatem ſuſceptus eſt [*h*]. Rurſum, Juliam gentem a Venere, indeque ab Ænea, profluxiſſe negarat [*i*]. Cui La Croze regerit [*k*], C. Julium Cæſarem diſerte Venere prognatum dici apud Cic. Ep. ad Fam. l. viii. 15. Quid ad hæc Harduinus?—Ex judicio ſextumvirali Ciceronem ſubmovet, et, ut vices ejus præſtet, Plautum clam ſubjicit, ne poſthac tam luculento ſuffragio obruatur.

Quanquam vero profanos Scriptores primum convellit, id præcipue in animo videtur intendere, ut patres et verſiones ſacri codicis, præter Vulgatam Latinam, in exilium relegaret. Nil mirum igitur, ſi cum

[*h*] Cic. de Legg. l. ii. init. La Croze, Vindiciæ Veterum Scriptorum, contra Harduinum, Roterod. 1708, p. 149.
[*i*] Chron. V. T. ſub A. D. 14.
[*k*] Vind. Vet.

ratione

ratione et religione inſaniens conſilium primum nunquam abjecerit. Bellum ſacrum indicit, et pergit monumenta vetera dejectum ut templum imperiumque Romæ ſuper traditionis fundamentum ſtabiliat.

Ut, inter *Opera Varia* Amſtel. 1733 edita, in Virgilii Æneïda et Odas Horatii Criticen contexuit, ita in his Prolegomenis palam facit ſe quosdam ex eccleſiaſticis ſcriptoribus ſigillatim ad examen revocaſſe: "Auguſtinum, Bernardum, et Thomam "confecimus, concilia quoque pleraque; "cætera ſimiliter peracturi, et alia ſcripta, "dum erit vita ſuperſtes [*l*]."

Parti cuidam hujus incepti iſta Prolegomena exarata videntur, ut diſcimus ex additamento ultimo mox ſubſecuturo. Illud quidem in naufragio fortunarum ſuarum, quod tota familia Jeſuitica nuper fecit, periit, aut neſcio qua terrarum parte latet. Hoc vero fragmentum, quaſi ex undis erep-

[*l*] Proleg. p. 10.

tum et in manus P. VAILLANT bibliopotraditum, noluit ille orbi literario invidere. Paradoxa enim per ſe cum novitate ſua delectant, tum longe magis Harduini artificio exornata, qui tam belle novit dare obſcuris nitorem, lucidis umbram, fictis probabilitatem, omnibus denique ſpeciem, prout velit, et gratiam. Iſtud, igitur, quicquid eſt, fideliter imprimendum curavit; autographumque ipſum in Muſeo Britannico reponendum, tanquam votivam tabulam, poſteritati conſecravit.

PAUCULA hæc, quæ raptim prælibavi, erudito colloquio, quo vir reverendus CÆSAR DE MISSY me honeſtavit, accepta debent referri. Si quid imprudenter dictum ſit, meæ tribuendum eſt inſcitiæ; ſi quid quod non diſpliceat, ejus laudi; qui mox, ut ſpero, plura ſuper hac re publica luce dignabitur.

P. S.

P. S. CUM in MSto loci ſint nonnulli lineola obducti, indicante eos eſſe omittendos; alii qui corrigentis manus aliquantum poſtulare viderentur, quos tamen ſponte noſtra religio erat immutare; utroſque ſingulos hic ſubjunximus, ut ſi lector aliquando tanti viri curas ſecundas deſideret, habeat ſaltem primas.

P. 3. l. 8. ſalva,] *Additum*, quam ſacroſancta dico Romana eccleſia, cæterarum omnium mater et magiſtra.

P. 10. l. 1—6. Si de noſtra igitur Cenſura in Auguſtinum — ſed ſi de ea Cenſura judicium ferre velit ſancta ſedes apoſtolica —] *Forſan legendum*, ſi, inquam, de ea Cenſura etc.

P. 17. l. 10. realitatem ipſam formalem,] *Additum*, univerſalem, ac neceſſariam univerſi, unitatem etc.

Ib. l. 13. condidere metaphyſicum] *Additum*, in qua nullum veri Numinis veſtigium ſit: aggreſſi etc.

Ib. l. 18. nullum habent.] *Additum*, Ethniciſmus ipſe eſt aperte, quem docent hodieque iſtis ducibus, maxime vero Au-

guſtino præeunte, ut jactant, Ambroſius Victor, Thomaſſinus, aliique: et nemo obſiſtit, aut hiſcit. Non Catholici, ex inſcitia malitiæ latentis, aut ejuſdem indagandæ negligentia: non Janſeniani aut Calviniani, ob concordiam aut conſenſionem. Nam quis ethnicus, non Naturam agnoſcat Deam, aut Realitatem univerſalem Veritatemque entium, Naturalesque Veritates, aut ſupremam quæ his ineſt Veritatem, ut Janſeniani Auguſtino duce; cujus opera propterea ſtudioſe Gallica faciunt ex Latinis! De ſenſu Auguſtini, vel Pſeudo-Auguſtini potius, (de hoc enim unice loquimur); de ſenſu illius, inquam, circa Veritatem entium, in moralibus ac phyſicis, quæ Deus ſit; et extra quam negat alium Deum eſſe; Catholicus ego Dei beneficio, et hæretici, præſertim Janſeniani; idem ſentimus: et non eſt verum?

Fuere iſti etc.

P. 60. l. 5. Chriſtianum.] *Additum,*

Illuſtriſſimus eccleſiæ Vapincenſis epiſcopus, in Mandato quod edidit, die iv. Martii, 1711. perquam apte et Catholice, dixit, inter alia: *Mais il eſt important, que noſtre clergé ſoit informé:* 1°. *Que l'autorité de S. Auguſtin et ſon ſentiment ſur la Grace efficace, ont eſté les grands prétextes, dont Luther et Calvin ſe ſont ſervis pour introduire leurs*

*leurs erreurs, et pour eluder les deciſions de l'Egliſe. 2. Que les ſentiments de S. Auguſtin ſur les matieres de la grace ne fixent noſtre creance, qu'à l'égard des points décidez par les Papes et par l'Egliſe. 3. Que la maniere d'expliquer l'efficacité de la grace, n'eſt point un des articles, ſur lesquels on ſoit obligé de ſuivre le ſentiment de S. Auguſtin. 4. Qu'on ne convient pas meſme dans les écoles, quel eſt ſur cela le ſentiment de ce ſaint Doctеur. 5. Qu'on y convient auſſi peu qui des Theologiens appellez Thomiſtes, ou de leurs adverſaires, a mieux pris le ſens de S. Thomas.* — Quam etc.

P. 61. l. ult. decretum.] *Additum,*

Non male Du Pin cenſuit in libro a ſe inſcripto, *Traité de la Doctrine Chrét.* lib. i. cap. 12. pag. 285. *Ainſi l'autorité d'un ſeul Pere, ou meſme de pluſieurs, n'eſt point une preuve infallible de la verité d'un dogme. Il n'y auroit qu'une ſeule occaſion, où l'on* POURROIT *ſoutenir, qu'on ſeroit obligé de ſe rendre au ſentiment d'un Auteur; ſçavoir en cas que l'Egliſe euſt approuvé ſa Doctrine, et l'euſt receue comme eſtant de Tradition Apoſtolique. Mais il ne ſuffiroit pas pour cela qu'elle donnaſt des* LOUANGES *à un Auteur, ou qu'elle approuvaſt* EN GENERAL *ſes écrits et ſa doctrine: Il faudroit qu'elle marquaſt en particulier qu'elle eſt cette Doctrine qu'elle approuve,*

*approuve. . . . . L'approbation* GENERALE *de la Doctrine d'un Auteur n'emporte pas une approbation particuliere de chaque article.* Temere igitur ſcripſit Arnaldus alicubi: *Aprés la deciſion de l'Egliſe on ne peut croire aujourd'hui ſans hereſie. . . . qu'il peut y avoir des erreurs dans les livres de S. Auguſtin:* ſcilicet poſt epiſtolas (ut credi vult) Celeſtini et Hormiſdæ. Temere et ſenſu ad hæreſim inclinante Janſeniani docuere, quod Alexander VIII damnavit, prop. XXX. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere et docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis bullam.* Cautius locutus Archiepiſcopus Cameracenſis, in Litteris per modum Dialogi ſcriptis contra Janſenianos, Præfat. xxxiii. *Le texte de S. Auguſtin n'a aucune autorité que celle que l'Egliſe lui donne: et* DANS LE SEUL SENS QUE L'EGLISE JUGE A PROPOS DE LUI DONNER.

P. 168. l. 14—20. aïo duntaxat, ne magis illam integre deſcriptam fuiſſe — aut magis ſcitu neceſſaria ſit —] *Legendum forſan,* nec magis ſcitu neceſſariam fuiſſe, vel eſſe, quam illa etc.

P. 182. § XV. *initio, Additum,*

Nulline ergo libri ante ſeculum decimum quartum? Immo multi: nam ſcribendi

bendi libros nullus eſt finis: ſed quales habemus nunc innumeros, quos ſolæ majores Bibliothecæ ſervant, neque omnes quidem, ſed paucæ: quos etiam nemo ſervare vellet aut poſſet, niſi Typographiæ beneficio et facile parabiles fuiſſent, et haud ſpiſſi voluminis: quales denique ſpernunt Bibliothecæ inſigniores, ac jubent exſulare, ut Regia, Colbertina, et ſimiles.—Qui fit etc.

P. 195. l. 18. S. Benedicti.] *Additum*, Ubicumque fuere Monachi harum fraudum architecti, (quibus ſe alii multi haud dubie ſæculares adjunxere); ii ſunt quos Accœmetas eadem appellavit antiquitas; finxitque ob jugem etiam noctu pſalmodiam ſic eſſe appellatos; ex Græco verbo ἀκοίμητοι, quaſi inſomnes: non ob pſalmodiam certe, quæ pia quæſita poſtea eſt et quæ monachos deceret origo vocis: ſed potius ob irrequietum laboris ſtudium: quamvis ob priorem ſignificationem alii Luxovienſibus monachis hunc titulum adſcribunt; alii cum Mabillonio, in præf. ſæculi IV. parte 2. San-Dionyſianis, ut ex Fredegario colligunt, cap. 79. At reipſa non alia de cauſa (ut id obiter dicatur) ſelecta vox ea Græca eſt ab improbo cœtu, ut aliæ innumeræ, quam et ad vetuſtatis opinionem conciliandam; vetera enim credimus, quæ ſunt ætati noſtræ inuſitata; et

et quoniam ex Hebræo derivata Judæum ſignificat, ה־קדם־חת: vel ה־קם־חת; poſito verbo in benoni: Qui inimicos conterit. Hæc origo certe facit, ut et *Achinitenſes* Liberatus appellet, Nicolaus I. epiſt. x. *Acymitenſes: Monaſterii Aquimiti* dixerit Gelaſius in libro adverſus Neſtorium et Eutychen. *Acœmitenſe monaſterium* in fine codicis Concilii Chalced. in fine autem actionis D. *Acœmetenſium codex* vocetur.

P. 192. l. 17. *Delend.* ſæculo conſequente

P. 204. l. 6. ſæculi.] *Additum, Bertcaudus*, fictum nomen eſt ex ב־חרתד כאה עדה: ut Chriſtum ſignificet, Qui cum iraſcetur, dolentes removebit; dicens utique, *Diſcedite a me, maledicti.* — Exemplum etc.

P. 205. l. 8. ſexcentos.] *Additum*, Simonius, in epiſtolis ſelectis, *Lettres choiſies, tome* i. *lettre pag.* 218. *Je vous dirai ſeulement ici en general, que de tres habiles Critiques ont cru des manuſcripts Grecs anciens de mille et douze cens ans, qui étoient cependant aſſez nouveaux.* — Hebraïci etc.

P. 208. l. 13. Lumbardus ?] *Additum*, Ibidem pag. 531. recitatur prolixum ex eodem Martyrologio elogium Simonis epiſcopi Pariſienſis, qui obiit anno 1304. Ibi recenſentur ea quæ legavit Eccleſiæ Pariſienſi: nullus

nullus eſt liber. — *De Manuſcriptis Græcis.* — Poſt captam etc.

P. 209. l. 15. librorum.] *Additum*, Prolixius egimus de hoc argumento in Critica Pſeudo-D. Thomæ. — Nullus etc.

P. 210. l. 16. omnes.] *Additum*, Sed plura vide de hoc argumento, in opere ſingulari quod ſcripſimus de Manuſcriptis Græcis.

P. 211. l. ult. ſervarent.] *Additum*, Mabillonius, De re Diplom. pag. 233. *Veritatem aut falſitatem* (diplomatum) *non auguror tantum ex materia, quæ antiquitatem majorem redolet: ſed ex aliis ſimul characteriſmis, et maxime ſtylo. Non me fallet impoſtoris larva ſub corticis ſpecie, aut ementitæ ſcripturæ antiquitate, ſi cetera non concordent.* Materiam vocat corticem, vel pergamenum in quo ſcribitur. — § XVII. NULLA etc.

P. 234. l. 12. exiſtimantur.] *Additum*, Peracta ea jam eſt, Deo adjuvante, feliciter deſcriptis Auguſtini, Bernardi, et Thomæ; ac plerorumque conciliorum: ceterorum autem affecta, abſolvenda, cum Deus et vires dederit et ætatem. Fas eſſe etc.

P. 237. l. 5. cenſuræ noſtræ, — operum] *Antea*, cenſuræ noſtræ, tum jam peractæ de Auguſtini et Bernardi operibus illis, quæ vulgo genuina creduntur, et de Summa

Thomæ

Thomæ Aquinatis, ut vocant: tum peragendæ de ceteris, ſed contractius; ſi Deus vitam et vires et mentem dederit. Liquido apparebit, ut ſpero, ex illa quidem cenſura operum etc.

Vir iſte Coriſopiti in Britannia Aremorica natus, A. D. 1646; obiit Pariſiis, Sept. 2, 1729; non infeliciter a M. De Boze hoc epitaphio ad vivum fere expreſſus:

In expectatione judicii
Hic jacet
Hominum paradoxotatos,
Natione Gallus, Religione Romanus,
Orbis literati portentum:
Venerandæ antiquitatis cultor et deſtructor.
Docte febricitans
Somnia et inaudita commenta vigilans edidit.
Scepticum pie egit
Credulitate puer, audacia juvenis, deliriis ſenex.

JOANNIS

# JOANNIS HARDUINI, JESUITÆ, AD CENSVRAM SCRIPTORVM VETERVM PROLEGOMENA.

## I.

REM magni operis, ſed et majoris invidiæ aggredimur, adſpirante Deo, quoad vita ipſo largiente ſuppetet, ſcripta quæ vetera exiſtimantur omnia, libris exceptis, quos pro canonicis et ſacris habet Eccleſia; et ſex omnino profanis ſcriptoribus, Latinis quatuor, Græcis duobus, inter ſuppoſititia et a ſceleſto grege fabricata monumenta referre. Non aliis interim ſcriptoribus bellum indicimus hujuſmodi, niſi ſummi Domini Dei, et Chriſti, et ſummi Pontificis, et Regiæ poteſtatis hoſtibus. Nobis certe licet eſſe tam rigidis in excutiendis ac repudiandis falſis monumentis, quæ ſanctiſſimam noſtram Reli-

gionem vel leviſſime convellunt, quam ſunt rigidi judices in foro ad excutienda ac reſpuenda monumenta, in quibus de hominum fortunis ac prædiis agitur, ſi qua in illis ſe offerat nota falſitatis. Atqui ſi vel una in aliquo inſtrumento notatio temporis vitioſa ſit, in foro confeſtim magno animorum conſenſu, magniſque, ſed juſtis, clamoribus, rejicitur ac repudiatur inſtrumentum; quanto vehementius ac juſtius vociferandum eſt, cum ſacroſancta Religio petitur et labefactatur?

Ipsa Religio pietaſque Chriſtiana poſtulat, ut ſe cum aliquo ſuo periculo minore a majore periculo liberemus. Minus periculum eſt, ſi factorum quorumdam, quæ hactenus obtinuere fidem, falſitas agnoſcatur; majus autem et vero longe maximum, ſi, factis iſtiuſmodi ſalvis, ipſa fides paulatim convellatur et corruat.

Habeantur ergo, ſi forte ſic eveniat, pro deliramentis, quæcumque hic proferimus;

mus; modo ne vera credantur placita, quæ in iſtis ſcriptis, quia impia vel hæretica ſunt, reprehendimus: modo ab his caveat quiſque et abhorreat, cetera parum curamus, etiam quæ de nobis hominum exiſtimatio ſit: dum ſit fides de Deo vero, de Chriſto, de ſingulis ſacroſanctæ fidei capitibus, integra et ſalva.

Quid enim refert, quod ante nos nemo id dixit, nullum dicti auctorem vel teſtem proferimus ex antiquis? An ſi quis nobis præïviſſet, id propterea verius foret; aut quia dudum ille obiit, dignior eſt fide? Non homini credatur, ſed argumentis.

Si mihi tantum ingenii foret, quantum alicui ex iſtis veteribus; animumque cupido inceſſeret operis cudendi ſub ementito nomine ſcriptoris alicujus ex iis, quorum ſcripta creduntur deperdita: ſi illud in pergameno exararem, quod poſt annos aliquot referret ſexcentos vel octingentos annos, atramento ad id apto adhibito: ſi

quædam ex ſcriptis veteribus in illud opus excerpta transferrem, quæ ſincera vulgo creduntur, ad conciliandam ei fidem et opinionem vetuſtatis: an non fas eſſet unicuique tentare, num poſſet fraudem impietatemque, ſi qua lateret, indagare ac detegere? Atqui quod ei de mea iſta lucubratione liceret impune certe; idem in univerſa ſcripta, quæ nondum talem ſunt experta cenſuram, unicuique, Catholico in primis ac Theologo, licere omnino cenſendum eſt. Licuit Petavio, exempli gratia, quod nondum quiſquam fecerat, opera quædam Athanaſio abjudicare (nam hunc unum proferunt auctorem Benedictini, tomo ii. pag. 49. et alibi): Licuit iis, qui Auguſtino et Bernardo adſcripta opera recenſuerunt, dimidiam eorumdem partem reſecare ac repudiare: quod acute cernerent, non ejuſdem omnia ſtili ac venæ eſſe: non licebit idem alteri, qui argumentis utatur nihilo minus indubitatis, et evidentioribus! Dictum omnibus ab Apoſtolo eſt; *Omnia probate; quod bonum eſt, tenete.*

QUÆRET

Quæret aliquis, qui fieri poſſit, ut ἀθεότης illa, quam in illis ſcriptis nos profitemur perſpicue deprehendiſſe, Theologos Scholaſticos illius ævi præterierit. At quæro viciſſim, qui fieri poſſit, ut hac ipſa ætate qua et plures ſunt, nec minus ingenioſi, hos ea tamen nequitia fugiat: cum libri multo nitidiores, ob artem typographicam, et lectu faciliores ſint et intellectu. In cauſa ex parte illud haud dubie fuit, quod cum illi adverſus hæreticos manus conſererent, ea tantum doctrinæ capita perlegerent in his Patrum (ut credebantur) monumentis, de quibus capitibus diſceptatio erat; ad fontem et caput ejuſmodi dogmatum non pervenirent. Itaque in id unum incubuere omnes, ut omni ope in ſuas partes ea teſtimonia, quæ ſibi opponebantur, pertraherent; de Euchariſtia, exempli gratia, de pœnitentia, de gratiæ efficientia, ſimilibuſque capitibus controverſis. Et in eo certamine ſe laboraſſe felicius quiſque exiſtimavit, quo ingenioſius. Quod ſi omnia pari diligentia

penſitaſſent; ſi ad fontes digitum intendiſſent; ſi ab his Pſeudo-patribus perſpexiſſent atheïſmum induci; fraudem haud dubie totam agnoviſſent; ex atheïſmo ſcilicet nihil ſani, nihil niſi alieniſſimum a fide Catholica de Euchariſtia, de efficientia gratiæ, de reliquis fidei noſtræ capitibus ſequi poſſe: deteſtandáque ſcripta eſſe, quæ magna tractarant reverentia, quod a Patribus profecta crederentur.

Quis deinde miretur tot ſcripta impia a nemine fuiſſe olim impietatis accerſita, quo tempore jacebant fere abdita in forulis Bibliothecarum, vel inde quaſi furtim et clam et paulatim educebantur, et erant paucis admodum hominibus cognita: cum hac ætate noſtra ſcripta plurima paris impietatis, in manibus omnium poſita, non in Gallia modo, ſed et in Belgio, Germania, Anglia, et alibi, a nemine tamen eo nomine reprehendantur? Quis miretur priorum ſæculorum, a ſæculo nimirum decimo quarto, quo hæc condita ſcripta putamus,

ſtuporem potius, quam noſtrorum? Quis miretur, de his ab Eccleſia nihil eſſe prolatum, cum delata a nemine ad tribunal Eccleſiæ fuerint? Neque enim Eccleſia, hoc eſt, ſummus Pontifex, aut concilium de libris ſolet ferre judicium, niſi de his alteruter judex interpelletur.

Non potuit, inquam, ante hoc tempus fraus tanta detegi. Nam neque quiſquam perſuaſum habere potuit, aut credibile reddere, falſa ac ſuppoſita eſſe monumenta omnia, quæ ſcripta creduntur ſæculis prioribus fere quindecim, niſi prius ea ſedulo et attente perlegiſſet. Nam totum impiæ catervæ ſyſtema, cujus ſibi partem ſuam quiſque ſumſiſſet, non potuit niſi omnibus ſinguliſque partibus diligenter expenſis agnoſci. Atqui non ante hoc tempus ſcripta fere omnia ex Bibliothecis eruta prodierunt. Latent quidem adhuc nonnulla, ſed pauca; quæque ejuſdem generis eſſe haud dubie, atque ea quæ exſtant, facile quivis opina-

bitur, cui de eorum quæ habemus præ manibus falſitate conſtiterit.

Neque Catholici igitur in ſcriptis illis impietatem agnoſcere facile potuerunt, neque hæretici patefacere a ſe deprehenſam. Nam quos utrique ut Patres agnoſcerent, neque Catholicis licuit eos omnino repudiare, ſed variis interpretationibus in ſuam inflectere ſententiam conati ſunt, ne a Patribus deſciſcere filii dicerentur: neque hæreticis venire potuit in mentem ut eos abjicerent, quorum ſcripta intelligerent impiæ ſuæ pariter hypotheſi patrocinari: cum præſertim ut oſtenderent ſe non recens ortos ac novæ doctrinæ conditores, talium teſtium ſuffragio indigerent.

Certe debent Catholici Antiſtites aut permittere ut myſterium iniquitatis a nobis, aliiſve melioribus, detegatur, et patefiat in aperta luce: aut valde metuere, ne tamdem ex adverſa parte prodeat aliquis impius, qui quid iſta Patrum (ut appellant) monumenta

continineant

continineant ſceleratæ doctrinæ prodat ipſe; inveniatque deinde patrocinium apud homines, qui nec irritum volent eſſe laborem ſuum in illis editionibus concinnandis, nec famam ſibi adhæreſcere pravæ impiæque doctrinæ ſive non intellectæ, ſive (quod pejus eſt) propugnatæ. Fiet brevi, ni Deus hoc malum avertat, totus orbis Chriſtianus invitiſſime atheus.

Ab aliquo certe e Societate noſtra propemodum neceſſe eſt hanc malitiam detegi. Nulla enim alia fere familia eſt, cui non ſit illuſum, oblato libro aliquo inſigni, qui nomen præferret viri in ea familia eximii: quem librum proinde, qua vi, qua arte, defendere illa decreverit. Habent Dominicani Thomam Aquinatem, Vincentium Bellovacenſem, Monetam, Reinerum, alioſque; Franciſcani Bonaventuram, Alenſem, Scotum; Carmelitæ Thomam Valdenſem; alii denique alios; Benedictini integram legionem.

Si de noſtra igitur Cenſura in Auguſtinum, Bernardum, et Thomam (nam hos tres, Deo adjuvante, confecimus; concilia quoque pleraque; cetera ſimiliter peracturi, et alia ſcripta, dum erit vita ſuperſtes): ſed ſi de ea Cenſura judicium ferre velit aliquando ſancta ſedes Apoſtolica (quem ego diem videre peroptem): ne conſultores admittat ex ulla Regulari familia, quæ ullum ex illis veteribus ſcriptis putet e ſuo gremio prodiiſſe, eaque proinde quocumque pretio velit eſſe ſalva. Adhibeat Theologos ſæculares, aut ex illis ipſis familiis viros incorruptos et integros, qui unicum ſpectent Religionis bonum; hanc unam velint eſſe ſalvam, vel ſi cetera pereant omnia.

Permisit hactenus Dei providentia litigare inter ſe Theologos de Auguſtini, Thomæ, ſimiliumque ſententia: quoniam illi parum curæ eſt, quid ſuper ejuſmodi controverſiis hi vel illi ſtatuant, dum ſalva et integra perſeveret fides, quæ eſt omnibus neceſſaria

neceſſaria ad ſalutem. In hac fide neque Romanam Eccleſiam pati poteſt, nec Theologos Catholicos paſſus eſt Deus errare. Nullum interim ex illis operibus Sedes Apoſtolica velut ex cathedra, hoc eſt, inſtituto prius examine, auditiſque ex utraque parte de illorum falſitate vel ſinceritate litigantibus, eſt comprobatum. Satis eſt Romanæ Eccleſiæ ſua fides, ſua traditio; abſque Auguſtini, alteriuſve privati cujuſcumque ſubſidio: cum ipſa a nemine, præterquam a Chriſto et ſancto Spiritu ſibi promiſſo auctoritatem habeat, et magiſterii poteſtatem: doceri a nemine debeat, ſed docere omnes, ut mater et magiſtra. Nec alia res tam valide probat auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, et providentiam Dei in conſervanda vera fide per ſanctam ſedem Apoſtolicam; quam quod tot magnis nominibus ſcriptorum inſignium, tum Græcorum tum Latinorum, nec corrupta aliquando eſt, nec corrumpi ſe umquam ſinet.

Cum ante annos triginta ſex, nempe anno 1693, ac deinceps non ſemel, notiſſimam ac plane perſpectam mihi eſſe profiterer veterum ſcriptorum νοθείαν, reclamarunt catholici quidam, viri boni, bona mente, ſed tantum domeſtici: nec animadverterunt longe vehementius vociferatos eſſe Calvinianos in Hollandia Germaniaque; qui nimirum intelligerent, ſi ſibi eriperetur Auguſtinus, ſi convinceretur ἄθεος, hanc illorum vocem notiſſimam, *Auguſtinus totus eſt noſter*, hunc habituram ſenſum eſſe, Sceleratus et hoſtis veri numinis totus eſt noſter. Nam reipſa nihil niſi atheïſmum docet, ſub vocibus Chriſtianis, qui Auguſtini nomen aſſumpſit, ac præfert.

At túne ſapientior, inquiet aliquis, quam tot ingenioſi viri, qui ſcripta veterum legerunt, neque ea impia eſſe animadverterunt? Hic unius ex ipſo illo improbo grege verbis reſpondebimus: Lactantii nimirum, libro ii. cap. 8. *Oportet in eâ re maxime, in qua vitæ ratio*

*ratio verſatur, ſibi quemque conſulere, ſuoque judicio ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam et perpendendam veritatem; quam credentem alienis erroribus decipi, tamquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut et inaudita inveſtigare poſſent, et audita perpendere: nec quia vos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt: quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Quare cum ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum; ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, et ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipſis ſumamus exemplum; ut quomodo illi qui falſa invenerant, poſteris tradiderunt; ſic nos, qui verum invenimus, poſteris meliora tradamus?*
Ad id audendum, nihil nos certe niſi ſtudium

dium veri tuendi incendit, quod eſt in ſacroſancta Religione una Catholica.

At quorſum tot monumenta ſollicitantur, quæ tot ſæculorum bona fides recepit? Tantumne vero boni in eo errore eſt, aut tantumne mali timetur, ſi veritas pateſcat; quantum malum eſt manibus omnium teri, atque in oculis libros haberi, qui ab inimica Catholicæ veritati cohorte ſcripti ſint; neque alio ſcripti conſilio, quam ut Deo penitus de mundo ſublato ſubruant eadem opera fidei Chriſtianæ placita univerſa? Qui libri infinitas atque interminabiles fovent ac fovebunt in Eccleſia lites, donec qui qualeſque ſint, agnoſcantur? Horum ſi quis patefaciat luce meridiana clarius ortum ac natales intra annos retro quadringentos, hoc eſt, ſæculo quartodecimo contigiſſe; hoccine leve Reipublicæ Chriſtianæ bonum putatur fore? Annon omni potius alteri commodo, ſi quod eſſe ullum poſſet, longe anteponendum?

Cur vero tamdiu diſtulit Deus hanc fraudem patefacere? Sicut exoriri eam paſſus eſt, ut de ea aliquando triumpharet; ita diſtulit eamdem viris Catholicis commonſtrare, donec eſſent, ut diximus, eruta e Bibliothecis omnia, vel pleraque ſaltem, eaque inſigniora opera, et pulcre edita commode legi poſſent et intelligi, et ex ipſis adnotatis in margine ſcripturæ locis argui: id quod noſtra tantum fere ætate contigit. Quanto ſint enim adjumento hæc ſubſidia, norunt qui libros pervolvunt. Tanti eſſe ea nos arbitramur, ut prius quam ea præſtarentur, detegi impiæ cohortis prava conſilia non potuiſſe credamus. Non ſine magna ſupremi numinis providentia factum interea eſt, ut Scholaſtici plurimi Patrum iſtorum lectionem neglexerint. Traditioni enim uni eo firmius adhæſerunt, eandem conſtantius defenderunt. Nos menſe Auguſto anni 1690, cœpimus in Auguſtino et æqualibus fraudem ſubodorari; in omnibus menſe Novembri ſuſpicati ſumus: totam

totam deteximus menſe Maïo anni 1692, prolixis ex ſingulis ſcriptoribus Græcis Latiniſque deſcriptis excerptis: quo in labore pæne ad faſtidium, ſed interjecta perſæpe ſumma ex vero detecto oblectatione, deſudavimus.

De fide Cyrilli, de fide Theodoreti, de fide Auguſtini, de fide Hieronymi, aliorumque, ſingularia ſunt edita volumina, necdum finitæ lites. Quid ſi quis igitur harum litium auctores patefaciat ante annos circiter quadringentos in mundum ex inferis emerſiſſe, qui ſcripta impia ſub ſanctorum virorum aliiſque nominibus procuderint peſſimo conſilio? Non huic homini grates habendæ, ſi rem evicerit perſpicuis argumentis? Nam quis impiorum velit ſcriptorum patrocinium ſuſcipere?

## II.

ΘΕΟΜΆΧΟΥΣ dicimus eos fuiſſe ſcriptores omnes, quorum opera circumferuntur uſque ad natam ſaltem Typographiam; et poſt eam quoque inventam non pauca ſimiliter prodiiſſe ex eodem grege, ſub nominibus ementitis. Deum illi non habent, niſi naturam rerum ipſam: Alii Ens merum vocant, τὸ ὂν, Realitatem ipſam formalem, Unitatem, Veritatemque entium, et eorumdem Manentiam in ſua unitate ac veritate: Ens ſimpliciſſimum, abſque ulla compoſitione metaphyſica. Inde ſyſtema religionis ii condidere metaphyſicum, aggreſſi videlicet de Trinitate, de Incarnatione, de Euchariſtia et reliquis ſacramentis, de gratia, de juſtificatione, de ceteris religionis capitibus diſſerere, quatenus fieri poteſt ab iis qui Deum verum nullum habent.

Fuere iſti in orbe Chriſtiano primi hæreſiarchæ, exorti ſæculo decimo quarto,

et in propaganda ſua impietate callidi, nimiumque felices. Quomodo vero ſuos in vulgus errores ſpargerent? An Traditionem pro ſe afferrent? Stabat a ſæculis ipſis tredecim Dei veri et Chriſti cultus in gentibus. An ſcripta veterum? Nulla exſtabant. Oportuit ergo confingere ſcripta, nec ſub ſuis certe, ſed ſub alienis magniſque nominibus, et ſic errorem propinare tum ſui ævi, tum ſubſequentium ſæculorum hominibus, præſertim vero eruditionis ſtudium præ ſe ferentibus. Ab his igitur credi voluere, Deum non eſſe niſi Naturam, tum univerſi conditricem per neceſſarias immutabileſque leges motuum, tum rectricem mentium per lumen naturale, per Veritatis lucem, ut vocant. Et ſpem conceperunt ii fore, ut pro reverentia erga ſanctos, probabile poſteris videretur, quidquid ſub eorum nominibus appareret: illud vero caput in primis, unde tota Religio ſubruitur; Deum eſſe ſive τὸ πᾶν, ſive τοῦ παντὸς neceſſariam rectitudinem, ex regulis Mechanices, Geometriæ, Prudentiæ, ac Veritatis; ut Chriſtiani ii

cenſe-

cenſerentur qui Veritatis cultores et præcones eſſent.

Religio Chriſtiana religio veri Dei eſt. Debet igitur in omnibus ſuis placitis characteres præ ſe ferre religionis, quæ verum Deum colit: hoc eſt, in omnibus ſuis dogmatibus debet veri Dei ideam exhibere. Planius et apertius: Omnia dogmata, quæ Chriſtiana religio tradit a Chriſto edocta, ejuſmodi eſſe oportet, ut ex iis intelligas et colligas, exſiſtere Deum aliquem verum: non debent eſſe hujuſmodi, qualia eſſent, ſi nullus eſſet Deus aliquis verus: ſi ſola pro Deo Natura eſſet, vel lumen Rationis ſeu Veritatis naturale. Chriſtum, exempli gratia, credimus in Euchariſtia eſſe, panis deſtructa ſubſtantia: Deum verum inde intelligimus hujus miraculi effectorem: hoc Natura præſtare certe non poteſt. Secta impia tranſmutationem hanc docet in mente credentium fieri pia cogitatione, quam vocant operationem Spiritus ſancti: cur? Quia Deum non credit ullum eſſe. Sic ſunt

placita Religionis Chriſtianæ omnia. Sunt duo omnino modi, quibus poſſunt ſingula explicari: alter Catholicus, qui eſt ejuſmodi, ut verum eſſe aliquem Deum ſupponat: alter atheus, qui in ſcriptis libris uſque ad natam Typographiam continetur; qui nempe dogmata ſingula noſtræ fidei ſic exponit, quale eſſe unumquodque poſſet, etiamſi Deus nullus verus eſſet. Eſt hoc principium vere admirabile, vere divinum, et ad omnia pertinet dogmata fidei. Euchariſtia in libris ſcriptis, quos dicimus, nihil niſi convivium eſt, quo qui ſunt ejuſdem ſententiæ homines, de ſua conjunctione gratulantur, quam in pane ex multis granis confecto vident ſignificari; et de ſpe ſibi data reſurrectionis ſimilis ei quæ Chriſto obtigit. Id vero credi certe poteſt et peragi, etiamſi Deus nullus ſit verus, ſed ex Naturæ legibus conſecutura reſurrectio ſit, ſive (ut vocant) ἀποκατάστασις, hoc eſt, reſtitutio in ſtatum priorem ſive totius univerſi, ſive ſublunaris orbis. Si ſacramenta ex opere operato juſtificant, et vox ſacerdotis, ſive

bapti-

baptizantis, ſive abſolventis; neceſſe eſt Deum aliquem verum exſiſtere, qui dederit *poteſtatem talem hominibus:* At ſi reſipiſcentia ſola et fides juſtificat; neque eſt aliud abſolutio, quam reſtitutio in cœtum fidelium ſocietatemque ſanctorum, unde quis per peccatum exciderat; ab ipſa inſtitui ſocietate qualibet hæc potuit diſciplina, abſque Deo. Sic eſt in ſcriptis illis veteribus, et apud Calvinianos, Lutheranos, Janſenianoſque, quibus illa præïvere ſcripta, Religio tota externa et humana, tota hujuſmodi, ut coli ab his Deum verum non poſſis intelligere. Catholici ſoli *pars Domini populus ejus, funiculus hereditatis ejus,* Deut. xxxii. 9. Ceteri Deum non norunt: quibus etiam dicturus eſt, *Non novi vos.*

Non ſunt profecto in toto orbe Religionum formæ niſi omnino tres. Prima eſt, quæ vera ſola eſt, et verum Deum colit. Ceteræ duæ falſæ, et eædem oppoſitæ illi veræ; altera per defectum, ἀθεότης, quæ Deum verum nullum colit; altera per ex-

ceſſum πολυθεΐα, quæ plures falſos colit. Ad Atheïſmum pertinent ſectæ omnes Θεομάχοι proxime recenſitæ, ſcriptis illis veteribus (ut creduntur) nixæ. Ad πολυθεΐαν idololatria, quæ eſt multiplex. Ad veram religionem ſoli pertinent Catholici, qui in veri Dei cultu, et perfectiore multo, ſucceſſerunt Judæis.

JAM fruſtra igitur vel tenuiter quiſquam ſubdubitet, an ex multis religionum formis, quæ verum Deum agnoſcant et colant, aliqua melius quam Catholica verbum Dei intelligat, aut rectius de Deo ſentiat, deque rebus a Deo revelatis. Nulla enim forma religionis verum Deum agnoſcit et colit, præter Catholicam. Nulli igitur niſi Catholicæ ſocietati, hoc eſt, Eccleſiæ, ſua myſteria Deus revelat. *Qui annunciat verbum ſuum Jacob, juſtitias et judicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi, et judicia ſua non manifeſtavit eis.*

Si

Si Deus eſt aliquis verus, ut eſt profecto, neceſſario credenda ſunt omnia, quæ Catholica religio docet eſſe a Deo revelata; ut perſonæ in Deo tres, Chriſti corpus in altari; aut dici oportet, quod abſurdum et blaſphemum eſt, nihil Deo eſſe curæ, quid illa ſocietas credat, quæ una ſub cælo ipſum agnoſcit et colit, ac toto corde invocat. Nam qui nunc illa myſteria negant, iidem etiam, veteres illos ſecuti, Deum eſſe verum negant; nempe eum quem Catholici agnoſcunt, venerantur, diligunt, ac timent.

Hæc *eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, Joan. xvii. 3. Gemina cognitio, et Dei et Chriſti ſcilicet, ducit ad vitam. Dei quidem, ut ſolius veri Dei: ne Deus exiſtimetur aut Realitas Veritaſque ſive entium ſive æternarum veritatum, ut Pſeudo-Auguſtino cum falſo appellatis Patribus placet, aut Ens entium, quod eodem recidit, et ab atheis pro Deo eſſe inducendum

Chriſtus profecto prævidebat: Chriſti vero, ut quem ſolum miſſurus erat Deus humano generi Legiſlatorem ac Redemptorem. Confeſſio Petri utrumque illud caput comprehendit, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Matth. xvi. 16. Unde meruit a Chriſto audire; *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quod ſi Eccleſia hac gemina confeſſione conſtat; portæ inferi apte etiam intelliguntur eſſe dæmonum conatus in atheïſmo inducendo, vel propagando, quo utrumque illud Chriſtianæ fidei dogma impugnetur. Atque id nimium profecto comprobavit eventus.

Forma religionis ab illo conſcelerato grege inducta, et a Thomaſſino in primis clare explanata ſuſceptaque, merus eſt gentiliſmus. *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum,* quod eſt Eccleſia Chriſtiana Catholica. Non ſunt hac ætate longe quærendi pagani: inter paganos degimus: in ipſa

primaria

primaria Chriſtianiſſimi imperii civitate ſunt pagani plurimi, etiam ſub habitu Chriſtianorum ſacerdotum ac religioſorum: veri Bonzii, Bramæ, Druidæ; ſi fides quidem eorum ſpectatur, ex ſcriptis hauſta quæ Patrum nomina in fronte præferunt. Nam quis, ſive Bonzius, ſive Brama, ſive Druida, non excerptis ſubſcribat ex Pſeudo-Auguſtino, quæ Janſenius, et quæ Ambroſius Victor collegit, de Dei natura non alia quærenda, extra Veritatem eſſentiarum omnium æternarumque veritatum? Qui magno conatu, ut iſti, aliique hoc ſæculo multi, libris editis demonſtrare exſiſtentiam Dei videri volunt, quia nihil non apte et vere eſt conditum, ſecundum neceſſarias leges motuum ac numerorum, et has volunt Deum eſſe et appellari; non pagani vere et athei ſunt? non Deum verum ex mortalium animis ejiciunt?

Et Pſaltes Regius, dum cecinit, *cæli enarrant*, et Sapiens, cap. xiii. 3. 5. et Paulus, et alii in libris ſacris, Deum eſſe probant

probant ex admirabilitate operum ejus: hoc eſt, diſtinctum opificem docent ab operibus ejus, diſtinctione reali quanta maxima poteſt cogitari; nec diſtinctione tantum, ſed reali etiam ſeparabilitate; ſiquidem et infinitis ante mundum ſæculis exſtitit, quem condidit; et eumdem poteſt ſemper velle annihilare. Nemo illorum Deum eſſe probavit, ut falſi nominis Patres, argumento eo quod conſtant omnia Veritate qua ſunt vera formaliter: vel ex eo quod Ratio quædam ſit univerſalis, lux rationalium animorum. Novum illud Evangelium Pſeudo-patrum eſt.

Magna Dei providentia factum eſt, ut quos Chriſtus Dominus voluit eſſe primos Eccleſiæ ſuæ Doctores, fuerint plebeii et de infima vulgi multitudine homines. Nam ſi Philoſophos delegiſſet, ſimiliaque ſumma ingenia, maxima nunc in Eccleſia tentatio foret, occaſioque ſuſpicandi, an non quod Dei nomine intelligi oportet, illud ſit potius, quod Pſeudo-patrum ſcriptis expo-

nitur, arripiturque avide ab his, et qui novi Philoſophi et qui Janſeniani ſunt, Ens entium, et τὸ εὖ εἶναι; quam quod nos Catholici colimus.

Huic malo Deus occurrit. Moſen primo miſerat, qui Deum verum doceret eſſe totius naturæ conditorem. Chriſtum deinde miſit, qui ut major certe propheta, majora de Deo doceret. Docuit Deum verum multa poſſe ſupra naturam, multo majora poſſe, quam in creatione fecit: ipſum etiam ſublimiori modo ſubſiſtere, quam qui Judæis notus eſſet. Nihil certe Deus fruſtra facit. Neceſſe omnino fuit, ut et de tribus in Deo perſonis nos erudiret, et Euchariſtiæ miraculum patraret ac credi juberet. Alioqui facile crederetur falſo appellatis Patribus, noviſque atheis, non alium eſſe Deum, quam quem ipſi credunt; ſiquidem nihil in mundo ſit, quod non ſecundum leges motuum et mechanices factum eſſe appareat, quas immutabiles leges natura ſequitur. At ternarium numerum perſonarum, realiter

realiter inter ſe diſtinctarum, ob geminam vitalem operationem intellectus et voluntatis, aptare Naturæ vel Enti entium, vel Motuum legibus, athei non poſſunt. Miraculum in reproductione perpetua et continua corporis Chriſti ſub ſpecie panis, deſtructa ſubſtantia priore, alium adſtruit eſſe Deum oportere, præter Naturam rerum, Ens entium, et Veritatem ſive Realitatem rerum formalem. Oportuit igitur utrumque iſtud proponi fidelibus, ut intelligerent, non illud ab atheïs ſibi Numen colendum proponi, quod ipſi colendum a Moſe et Chriſto et Apoſtolis et majoribus ſuis didiciſſent. Nihil enim Natura aut Veritas aliud poteſt efficere, niſi quod poteſt mens humana concipere, aut ipſa poteſt alio modo ſubſiſtere, quam quo poſſumus intelligere. Ad retinendam igitur et conſervandam fidem de Deo vero, Chriſtianis oportuit majora de eo revelari, quam Judæis: præſertim prævidente Deo fore, quod reipſa contigit, ut Judæorum Rabbini ipſi multi in illum abriperentur atheïſmum, decepti libris Cabaliſticis,

liſticis, quos idem grex impius ſæculo decimo quarto quintove confecit.

Innumera, ut ita dicam, ſcripta, ſunt Patribus adtributa. Sed quanto ſunt plura, tanto eſt mirabilius, nemini uni illorum vel ſemel excidiſſe, id quod, Deo revelante, credimus, eſſe Deum unum in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis. Ὁμοούσιον paſſim occinunt: quoniam Unitati certe vel Realitati entium conſubſtantialis eſt eorumdem veritas; cujuſcumque generis illa ſubſtantia ſit, hoc eſt, metaphorica tantum. Diſtinctionem perſonarum realem non memini me vel ſemel legere in ſcriptis quæ Patribus vel aliis tribuuntur per annos amplius mille trecentos a Chriſto nato. Atqui erat illa diſtinctio realis perſonarum Chriſtianis quotidie inculcanda; ſiquidem hæc fides Chriſtianos diſcriminat a Judæis. Nam Sapientiam Dei ipſam eſſe Deo ὁμοούσιον quis Judæus negat? Exortáne ſunt dogmata Catholica poſt annum Chriſti MCCC? Quis ea excogitavit? quis propoſuit? quis credi

orbi univerſo juſſit? Si hæreticos audimus, Theologi noſtri Scholaſtici, ſuperbi ſunt, diſputatores, altercationis amantes. Non potuere igitur illi ea cudere dogmata, quæ tenemus. Superbi enim et diſputatores, iidem invidiæ et æmulationi obnoxii ſunt. Si ternarium numerum perſonarum, vel hypoſtaticam Verbi unïonem, vel tranſubſtantiationem inveniſſent Franciſcani, Dominicani Inquiſitores reclamaſſent: vel Sorboniſtæ, utriſque (ut fertur) infenſi olim. Vetuſtior ergo quam Schola eſt forma religionis noſtræ; Pſeudo-patres antecedit, a quibus oppugnatur. Quis ergo filios Patribus peritiores fecit? an quintum de cælo delapſum Evangelium eſt? Quomodo factus eſt ſæculo XIV. totus orbis ex atheo Chriſtianus? Quomodo tunc ſapere Eccleſia Chriſti cœpit?

III.

## III.

FECERE iſti, id quod ex eadem impia caterva Theodoretus, libro I. hæret. fabul. cap. xix. feciſſe Marcitas refert. *Adulterinorum falſique tituli librorum multitudinem conſcripſerunt, ut ſtultos terrerent.* Magnum opus magnum laborem deſiderabat, cui ea factio non pepercit. Et vero habuit illa χαλκεντέρους, φιλοπόνους, Adamantios. Innumera prope fingi monumenta oportuit, ut traditioni non ſcriptæ, Catholicæ ſcilicet, traditionem ſcriptam totidem annorum opponerent. Multa et infinita prope volumina ſunt exarata: intelligebat enim cœtus improbus, quo plura eſſent, eo difficilius fraudem eſſe extricandam. Totidem Græca, quot Latina: alioqui quis non ſtatim fraudem ſuſpicaretur in Latino orbe factam? Et utriuſque Eccleſiæ conſenſum oſtendi præterea oportuit: ſic rem effecerunt. Græciæ dederunt in primis Nazianzenum, Chryſoſtomum: Cappadociæ, Baſilium,

Nyſſenum:

Nyſſenum: Orienti, Theodoretum, Euſebium: Ægypto, Clementem, Origenem, Athanaſium, Cyrillum: Italiæ, Ambroſium, Leonem, Gregorium: Palæſtinæ, ac Syriæ, Juſtinum, Cyrillum alterum, Damaſcenum: Cypro, Epiphanium: Africæ, Tertullianum, Cyprianum, Optatum, Auguſtinum, Fulgentium, &c. præter alios ubique innumeros.

Fuit illud conſilium tot voluminibus, tot hiſtoriis, tot conciliis, tot ſcriptis omnis generis fulciendum, aut omnino ſuſcipiendum non fuit, ac ne tentandum quidem. Itaque nemo multitudinem librorum vel molem miretur. Fuit oſtendendum et per tractatus polemicos, et in homiliis ad populum, et in explanationibus ſcripturarum, et in epiſtolis, et in hiſtoriis variarum orbis Chriſtiani gentium, non aliam, quam quæ ab ipſis traderetur, Religionis formam fuiſſe: et quas opiniones docerent, et quas afferrent interpretationes ſcripturarum, et ſolutiones oppoſitorum, non unius hominis, vel

vel unius regionis aut ætatis, ſed totius orbis ſenſa eſſe, omniumque ætatum.

Oportuit innumeros, ſi fieri poſſet, et magnæ molis libros ab iſtis cudi; ut multitudini teſtium nemo auderet obſiſtere: quod ſi quis auderet, ſtatim cenſeretur velle omnem traditionem convellere. Nullum enim eſt ex iis voluminibus, quod, ſi ſejunctim ſpectetur, non illico damnetur ut hæreticum, atheumve. At cum apparet ceteros omnes ſcriptores huic conſentire, jam ipſi Catholici referunt pedem: ac non modo neminem audent rejicere, ſed ſe cogi ſentiunt ut omnes amplexentur.

Fingi oportuit Patres plurimos: nam ſi unus tantum, vel duo, aut viginti; vel ſi Latini tantum, ſtatim fraus ſuboluiſſet: ſimiliter ſi Patres tantum, non etiam hiſtorici, tum ſacri, tum profani. Fingi oportuit et adverſarios: Manichæos, Arianos, Donatiſtas, &c.

Oportuit fingi tot quæſtiones, tot decreta, tot canones, tot definitiones, tot precum formulas, tot hiſtorias, controverſias, &c. ut quidquid oriri poſſet difficultatis in materia Religionis, ſive ad dogmata pertinens, ſive ad diſciplinam, id jam antea definitum ſancitumque videretur, ſecundum principia atheïſmi et religionis naturalis; ne poſteri auderent aliter ſtatuere, quam a ſuis majoribus legerent fuiſſe definitum. Itaque nihil non prævideri diligentiſſime oportuit: nulla non quæſtio etiam ſcholaſtica de Trinitate, de Incarnatione, de ſacramentis, anteoccupari; nulla de diſciplina Eccleſiaſtica contentio prætermitti.

Continuanda ſcripta fuerunt per omnes ætates et per unumquodque ſæculum, ne ficta putarentur, crederenturque ibi hæſiſſe artifices, ubi totum expoſuiſſent ſuum ſyſtema. Itaque ſecari illud in partes oportuit, et ſua cuique ſæculo pars tribuenda; ut

ut per quoſdam gradus ætatum tum fides et ſenſa fidelium circa myſteria, tum diſciplina, creviſſe paulatim crederetur, et ad illud perveniſſe faſtigium, in quo erat, cum iſta cuderent.

Nebulonum iſtorum intererat non ceſſare a labore, ſed perſtare in falſis tum ſuperiorum tum ſuorum temporum monumentis fingendis, iiſque mundum onerare atque obruere; nulla ut exſtarent alia vel legerentur, ſi fieri poſſet, quam quæ ſuis eſſent placitis conſperſa.

Non potuere tamen, nec auſi ſunt, impoſtores iſti ſuam impietatem ætati ſuæ ſaltem totam proponere, niſi verbo et colloquiis. Poſteris magis deludendis ac fallendis operam impenderunt. Nam cum aperte ipſis Catholica traditio adverſaretur, religio autem res traditionis ſit; quomodo æquales prolatis ſtatim tot falſis teſtimoniis perverterent? Itaque, ut diximus, fallendi magis poſteros ſpes illis fuit.

Apocrypha etiam ſcripta fingi oportuit, ut neque ipſis defuiſſe Critice exiſtimaretur; et tanto plus fidei aliis ſcriptis accederet, quanto in aliis notandis et abjudicandis æquiores viderentur vel ſeveriores. Unde autem profecta finxere, aut ubi cuſa apocrypha? Apud Romanos præſertim, ut Clementina, et Petri quæ dicuntur, et Hermas ſive Paſtor: ne credatur quod Romæ exaratur, vel a Romanis, tanta olim reverentia exceptum fuiſſe, quanta quod ab exteris; cui ſtatim conciliata auctoritas omnium ſuffragio fuit. Non quod illa ſcripta apocrypha quiddam contineant ad dogmata pertinens, quod credi nolint; ſed quod credi nolint ea idcirco pro veris habita fuiſſe, quod eſſent a Romanis profecta.

Consulto fecere etiam opera quædam quæ vellent ipſi haberi a multis pro ſuppoſititiis, a naſutioribus ſaltem; quibus ipſi ſuppeditaturi eſſent in aliis ſcriptis argumenta, quibus illa opera ſpuria cenſerentur.

Intererat

Intererat tamen illa cudi, quoniam placitura ea eſſent nihilominus aliquibus Eccleſiis vel regionibus. Itaque cuſa ea ſunt; ſed ejuſmodi, ut in his quoque ipſis virus doctrinæ impiæ, ſi non integrum, ſaltem ex parte inſereretur. Tales ſunt libri Dionyſio Areopagitæ, quos ſciebant a Græcis, ac forte etiam a Pariſienſibus avide excipiendos eſſe. Tales epiſtolæ Decretales ſummorum Pontificum, quas ſperabant Romanis gratas et jucundas fore. Ita illi voto ſuo ſperabant ſe fruituros, etiam illis operibus, quæ viri eruditiores pro adulterinis haberent, dum a minus prudentibus pro genuinis exiſtimarentur. Potuit, inquam, ſperare cohors impia, ſi non ante annos triginta fraus detegeretur, patronos ſibi non defuturos, partim ſui ſimiles, atheos, impietati ſuæ ſuffragatores; partim viros ſimplices, ac minime malos, nec detegendarum fraudum peritos.

NUMERUS eſt maximus operum, quæ inter ſpuria nunc conjiciunt eruditi: cum tamen ſub magnis Athanaſii, Chryſoſtomi,

 Ambroſii,

Ambroſii, Auguſtini, aliorumque nominibus prius apparuiſſent, eaque ab initio nomina præſerant in codicibus manu exaratis. Nec mirum. Eadem enim iſtorum doctrina eſt, atque aliorum; idem ingenium ſapiunt, eamdem ſpirant factionem et officinam. Cur ergo ab Ambroſio, exempli gratia, vel Auguſtino non ſunt laudata? Quoniam a ſocio quidem laboris ſunt concinnata, ea ſpe fore ut ſub tanto nomine apparerent: ſed quæ poſtea viſa ſunt primario artifici minus digna magno nomine, ſive quod ab illius placitis quibuſdam parumper deſciſcere viderentur; vel quædam proferre audaciuſcule, quæ primarius artifex diſſimulanda ſibi putaret.

INTERDUM e contrario, nec raro quidem, opus ſuum opifex ita partiebatur, ut duobus illud ſcriptoribus tribueret; poſteriorem prioris poſt ejus obitum continuatorem fuiſſe fingeret: cum tamen ſimilitudo ſtili eumdem fuiſſe utriuſque opificem arguat. Ita Robertus de Monte continuaſſe Sige-

bertum

bertum fingitur, alii alios bene multos. Coëgit iſtud Mabillonium comminiſci, lib. de ſtudiis Monaſt. pag. 301. diſcipulos magiſtrorum ſuorum ſtilum eſſe imitatos, ut Bernardi Clarævallenſis Nicolaum Claræ-vallenſem. Ita multiplicatis nominibus augebatur numerus ſcriptorum falſorumque teſtium.

Multa illi denique credi voluere opera eſſe deperdita: unde vix quiſquam eorum eſt, qui non alicubi, ſcripta quædam a ſe fuiſſe mentiatur, quorum nihil exſtat. Sic Theodoretus in ſuis epiſtolis titulos librorum, ut aït, a ſe conſcriptorum affert, alii alios prope innumeros.

Ita partiebantur inter ſe opus, ut duo, treſve, vel plures, ſcripta unius ſæculi ſuſciperent elucubranda. Et ut cum de ſimili argumento duo vel tres ſcriberent, unus aliquid de induſtria prætermitteret, quod ab altero adjiceretur. Exempli gratia, de Hæreſibus ſcripſere Epiphanius, Theodoretus,

Auguſtinis, alii. Hæreſes quaſdam alter attingit, neglectas ab altero: de una aliqua locutus eſt apertius alter, alter obſcurius.

Ne mirarentur autem poſteri, aut conſpirationem ſuſpicarentur et fraudem, cum viderent eadem omnia omnes Patres argumenta tractare, iiſdem ratiociniis ac ſimilitudinibus uti, adeo ut alter exſcribere alterum ſæpe videatur: fingi hiſtorias oportuit, quibus appareret ſparſas orbe toto fuiſſe eaſdem hæreſes, ubique propterea fuiſſe impugnandas. Arianos eam ob cauſam in Aſia, in Ægypto, in Græcia, in Africa, in Galliis, in Hiſpaniis poſuere; Manichæos ubique terrarum; Photinianos in Gallia; alibi alios.

Dicet aliquis: Tantumne laboris potuere homines inſumere, in tot libris condendis ſuppoſititiis: Quaſi vero cum de re conſtet, dubitare de modo oporteat: aut non homines conſtet fuiſſe, qui hos libros ſcripſere: aut non etiam recentibus hæreticorum exemplis manifeſtum ſit, plura multo

multo et ſpiſſiora volumina exarare improbos, ut errorem tueantur, quam Catholicos, ut veritatem propugnent. Confer Lutheri, Calvini, Brentii, Magdeburgenſium, Fratrum Polonorum, aliorumque vegrandia onera verius quam volumina. Intelliges nulli labori parcere impios, ut impietatem adſtruant. Sed et tractabant illi eamdem rem ſubinde multis modis. Eadem plane argumenta, exempli gratia, quæ ſunt apud Cyrillum Alexandrinum in Commentariis in Joannem, eadem ſunt omnino in Theſauro, eadem in dialogis ſeptem; ſola tantummodo forma pauliſper immutata. Similiter Ambroſius facit, et ipſe Auguſtinus. Sic facile fuit multa brevi et grandia cudere volumina.

Patrum Græcorum ſimul et Latinorum haud plura ſunt opera, quam quot a Luthero vel a Calvino, cum ſuo grege, ſcripta ſunt intra annos quinquaginta. Non tot certe opera ſunt Auguſtini, quot ſunt unius Toſtati, quot ſunt unius Alberti Magni. Et

Calvini quidem, quanto in ſcribendi genere cultiora? Alberti Magni quanto in omni genere doctrinæ abundantiora? Si quæ ſæpius iterat Auguſtinus expungas, ut ſemel dicantur, quartam ſaltem operum ipſius partem ſuſtuleris. In Societate noſtra vel ſeptem ſcriptores, Salmeron, Vaſquez, Suarez, Bellarminus, Cornelius a Lapide, Theophilus Raynaudus, Petavius, librorum numero ac mole Latinos quos appellant Patres ſuperant. Fuere ſæculo decimo ſexto viri plurimi eruditione ſingulari in Italia, Bembi, Manutii, Politiani, aliique. Hi ſi in unum aliquod conſilium conſpiraſſent; quot potuiſſent edere opera Græce, Latine, proſa, carmine, multo elegantiora et cultiora, quam ſunt vel Auguſtini vel Ambroſii aliorumve nominibus? Nam e recentibus alii cum ipſo Tullio, alii cum Virgilio in ſcribendo certant.

At plerique ex illis veteribus deſcriptores verius, ut eo verbo utar, quam ſcriptores ſunt; præſertim dum edunt Commentarios

in

in Scripturam. Alii alios exſcribebant, ut Rufinus et Cyrillus Auguſtinum, Ambroſius nunc Philonem, nunc Baſilium, nunc Hilarium in Pſalmum CXVIII. Juſtinus (qui tamen prior creditur) Theodoretum; Oecumenium Theophylactus; uterque Chryſoſtomum, &c. Non ut noſtri Commentatores verum ac genuinum litteræ ſenſum quærebant, quod eſt interdum operoſum; ſed quas mens ſtatim ſuggerebat allegorias, quamvis frigidas ſæpiſſime et inſulſas, chartis mandabant; quas alii deſcriberent: habent enim eaſdem fere univerſi: ita ut tædio ſit incredibili eaſdem ſæpius inter legendum offendere. Itaque fere currente calamo hæc opera exarabant, præſertim vero conciones, ut interdum ipſi gloriantur, ſingulas una nocte. Vide Sidonium id de ſe profitentem. Eamdem habuere Bibliothecam Clemens Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, Theodoretus, Juſtinus: nam eoſdem auctores laudant, eaſdem fabulas confutant. Sic etiam alii.

IN

In iſtis deinde ſcriptoribus, qui poſteriores credi ætate voluerunt, ii controverſias planius explicant, et quæ priores non attigerunt, ipſi exponunt: ſic nempe diſtributo ſcribendi penſo, ut aliquid poſterioribus reſervaretur, quo diſcernerentur a prioribus. Nam ſi illa excipias quæ tradunt explicatius, eadem plane deſcribunt, quæ dixere priores. Itaque aliquid eos adjicere novi oportuit, ne inutiles haberentur. Repetere ſimul ea neceſſe fuit, quæ priores dixerunt: ſic ſpiſſius erat volumen, levius et exilius alioqui futurum.

Qui factum eſt ut a ſæculo ſeptimo ad decimum quintum in Hiſpania vix reperiantur ſcriptores ſeptem? Omnes ſcilicet exinde ſcriptores impius ille cœtus credi voluit Pariſiis floruiſſe, aut docuiſſe, aut didiciſſe certe quæ ſcriberent; ut ad illorum defendenda ſcripta Pariſienſem Academiam, quæ eodem tempore exoriebatur, animaret. Hinc plerique omnes Germani, Itali, Angli,

Pariſiis

Patriſiis ſtuduerunt, aut docuerunt: Alcuinus, Rabanus, Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, Bonaventura, innumerabiles alii. Exiſtimarunt artifices nequiſſimi, ſi Academiam Pariſienſem haberent patronam, fore ut Gallia ſequeretur univerſa; quæ pars potiſſima Chriſtianitatis eſt. Ex Anglia, inquam, Italia, Germania, multi prodiiſſe ſcriptores narrantur; ſed qui Pariſiis propterea feruntur ſtuduiſſe, aut etiam docuiſſe.

Qui nono ſcripſiſſe ſæculo credi voluerunt, et Beda etiam qui octavo, nihil aliud fere quam priora deſcribunt. Exhauſtis ſcilicet ſcribendi argumentis, ne tamen nihil ſcriberent, aut mendacia apparerent ſcripta priora, quibus a ſæculo octavo vel nono adverſaretur traditio; priora ſolummodo deſcribunt fere vel augent; fictis circa priora illa novis controverſiis. Sæculo XIII. et XIV. incredibile eſt quam ſæpe quamque ſimilia vel eadem potius de Spiritu ſancto, de azymis, aliiſque capitibus deſcribantur, quibus diſſident Græci a Latinis. Intererat

potiſſimum impiæ cohortis, non exſtare alia de controverſia circa proceſſionem Spiritus ſancti monumenta, quam quæ ipſi cuderent; ne aliud eſſe ſive Deus ſive Spiritus ſanctus in illis diſputationibus videretur, quam quod ipſi ſtatuiſſent, qui Deum verum agnoſci nollent.

Habebant illi idoneos artifices omni ſtilo. Latinitas tamen in omnibus a Pliniana, aliaque ſimili vetere longe diſcrepans. Ea autem eſt in omnibus ſimillima, quæ eamdem omnium refert ætatem, niſi præjudicata aliqua opinio id credi vetat. Alii nihilominus aliis accuratiores et magis politi. Omnes in ſcribendo audaces; ſimiliter cadentia et ſimiliter deſinentia curioſius ſectati, quam ſermonis elegantiam ac nitorem. Plures dum cito ſcriberent; quam bene ſcriberent, parum curabant. Nulla cuiquam erat a Cenſoribus edendi operis ſui mora.

Si eadem omnes methodo ſcriberent, exempli gratia, methodo ſcholaſtica, non poſſent omnibus ſæculis ſuffici ſcriptores: ſtatim eſſet exhauſta dicendi materies. Propterea priorum ſæculorum ſcriptores juſſi ſunt apologias ſcribere, epiſtolas, tractatus adverſus hæreticos, et homilias. Medio ævo ſcribere juſſi Commentarios, et Collectanea ex Patribus, hoc eſt, ex iis qui priores lucubrationes dediſſent. Poſtremo condere juſſi ſunt Summas Theologicas et Commentarios in Summas. Quæ incerti Auctoris eſſe dicuntur, ea de induſtria carebant ſcriptoris nomine, ut conſequente ævo alicui magni nominis viro tribuerentur; ex quo falſis impii cœtus placitis auctoritas accederet.

## IV.

SI ſancta Sedes Apoſtolica conſulatur quid ſentiat de libris Auguſtini, Hieronymi, ceterorumque; reſpondebit ſapientiſſime, opinor, nihil illud ad ſe pertinere: nihil ſibi de his revelatum eſſe; an ſint, inquam, necne eorum ſcriptorum, quorum nomina præferunt: id ad nullam ſpectare partem depoſiti ſibi crediti: litigent de his ut voluerint inter ſe eruditi; ſuarum eſſe partium interim hoc unum, ut quid tenendum in fide Catholica, quid ſervandum in moribus ſit, juxta depoſitum ſibi creditum, ubi præſertim de his duobus capitibus lis aliqua ſuboritur inter fideles, pro poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa definiat ac decidat.

SI dicerem habere me rationes et argumenta, quibus probem Evangelium Matthæi Matthæi non eſſe; nemo non me ſtatim averſaretur et exſecraretur; nec vellet eas omnino audire rationes; ſed penitus et ſtatim aures occluderet, ratus ſe audire blaſphemiam:

blaſphemiam : ac jure quidem : quid ita? quoniam videlicet nemo Chriſtianus non intelligit eſſe hoc adverſari teſtimonio Eccleſiæ, ac proinde Spiritûs ſancti, quod Evangelium Matthæi Matthæi eſſe pronunciavit. Ergo a contrario, cum paratus ſit quilibet ad audiendas rationes, quas ſum ei fortaſſis prolaturus; mihique proinde fas ſit proferre quas velim, ut ſuadeam nunc iſtud, nunc illud, Auguſtino, Baſilio, vel alteri cuilibet adſcriptum opus, ipſius non eſſe, argumento iſtud certiſſimo eſt, nullum adhuc exſtare Eccleſiæ judicium, quod ullum Auguſtino, exempli gratia, opus aſſerat, ex his quæ Auguſtini nomine circumferuntur.

Numquam examinavit Eccleſia ſcripta Petri vel Pauli, quoniam fuere illi totius Eccleſiæ magiſtri, et primi Chriſti diſcipuli: vel primi diſcipulorum ejus diſcipuli, ut Lucas et Marcus. Satis habuit noſſe hæc ſcripta eſſe Petri vel Pauli, Lucæ vel Marci, ut ea, abſque ullo examine, cenſeret eſſe expertia vel leviſſimi cujuſque erroris. In

hujus cognitione facti oportuit eam errare non poſſe: pervulgata illius notitia, ut neceſſaria ei fuit, ſic debuit eſſe certiſſima. At non ſatis habet, credi dicive a quibuſdam, qui ſe dicunt eruditos, eſſe aliquod ſcriptum cujuſvis epiſcopi, Auguſtini, exempli cauſa, vel Chryſoſtomi, ut vel illud ei afferat, vel expers omnis erroris eſſe pronunciet. At antiquitas credidit hos Auguſtini libros, quos terimus, eſſe genuinos. Quaſi vero non ea antiquitas errorum mater pleniſſima ſit; nec potuerint ante annos quadringentos falſa ſcribi, legi, credi: nec denique ex ipſis Patrum iſtorum libris, quos genuinos eſſe antiquitas credidit, plurimos eiſdem noſtra ætas abjudicarit, eruditorum plaudente judicio.

Quam dixi notitiam facti pervulgatam, circa ſcriptores librorum ſacrorum, fuiſſe Eccleſiæ neceſſariam, nec ulli proinde errori obnoxiam; eadem et circa definitiones conciliorum genuinorum, cujuſmodi eſt Tridentinum, et circa Conſtitutiones ſummo-

rum

rum Pontificum, quæ ſunt ſinceræ, Eccleſiæ ſimiliter et neceſſaria, et, ut ipſa revelatio, certiſſima eſt et indubitata; aut certe vices præſtat revelationis. Ejuſmodi eſt notitia pervulgata, qua conſtat prolatam fuiſſe a Clemente XI. conſtitutionem *Unigenitus*. Ejuſdem conditionis illa evidentia, cujus et illa qua conſtitit olim apud primos Chriſtianos Matthæi evangelium Matthæi eſſe, Pauli epiſtolas eſſe Pauli, et ſic de ceteris. Et ab illis primis Chriſtianis edocti ſunt poſteri omnes, ut de tali facto, veluti de fidei fundamento, ne vel tenuiſſime quidem dubitarent. De ſcriptis quæ Patrum dicuntur, nihil omnino ſimile dici poteſt. Nemo me jure adigat ad credendum, toti Eccleſiæ notum fuiſſe umquam, vel ab ea propoſitum fidelibus ut certo crederent hoc vel illud opus Hieronymi eſſe, vel Auguſtini. Si libri manu ſcripti nomen Auguſtini alteriuſve præferant, liber autem intus hæreſim aut ipſum etiam atheïſmum contineat; eſſe illum viri ſancti aut omnino Catholici fœtum non credam; ne ſi Angeli quidem de cælo

cujuſlibet nomen præferat: potius credam eſſe dæmonis transfigurati in Angelum lucis. Si non ſunt tales iſti quos Patres vocant, retinendi ii ſunt, et amplectendi: ſi ſunt autem ejuſmodi, abominandi ſunt, et deteſtandi. Oſtendat aliquis non eſſe eos tales: at mihi quidem cum Deo conſilium eſt patefacere, omnes, nemine uno excepto, tales eſſe: et de tribus jam penitus rem confeci: affecta etiam eſt de ceteris omnibus.

Necesse certe omnino eſt, vel omnia ſcripta quæ damnamus, ſuppoſititia eſſe, vel nullum. At non verum poſterius profecto: prius ergo veriſſimum. Ita certe inter ſe iſti falſarii convenerunt, tanta inter ipſos conſenſio ſententiarum eſt, ut ſi vel unum e monumentis quæ confinxere ſubruas, neceſſe ſit corruere univerſa: id quod egregie iſti præſenſerunt mirum viſum iri, nec credibile poſteris. At iſta ipſa conſenſio fraudem oſtendit. Neque enim ſimilis occurrit in libris poſt typographiam inventam editis. Si unum ex his falſi arguas, non

non continuo neceſſe eſt corruere reliquos univerſos, eodem etiam anno aut in eadem civitate editos.

Certissimum alterum conſpirationis atque conſenſus indicium eſt, quod et vix poteſt e Pſeudo-patribus iſtis unus aliquis probe intelligi, niſi legantur et intelligantur omnes; adeo lucem ſibi invicem præſtant: et quod omnia hypotheſeos impiæ placita in omnibus continentur. Fruſtra igitur mihi aliquem damnanti ob atheïſmum, exempli gratia, quem in demonſtranda Dei exſiſtentia adſtruat; opponat alium aliquem ex ipſorum numero ſimiliter ſentientem: hoc nihil aliud eſt, quam furem dicere furi ſimilem: an continuo non fur uterque?

Censuram quidem gravem meretur, ſi quis dixerit ſanctos Patres, ſive univerſos, ſive aliquos ex ipſis, Auguſtinum, Irenæum, ſimileſque, vel atheïſmum docuiſſe, vel de aliquo fidei articulo ſecus ac nos ſenſiſſe. Damnari debet a Præſulibus, qui ſic loquatur.

tur. Incredibile enim eſt Eccleſiam impendiſſe ſanctorum cultum iis hominibus, quorum ſcripta tot ac tantis infecta erroribus, omnium manibus tererentur. Pro ſanctis haberi meo quidem judicio non potuere, niſi quorum eſſet fides æque perſpecta, ac mores probati. At longe aliud eſt dicere; ſancti Irenæi, exempli gratia, viri maxime Catholici, nomen mentitur opus hæreticum ac nefarium: hoc eſt enim dicere; Fuit ab initio Catholica fides in ſanctis viris, qualis nunc eſt; ſed aliam fuiſſe credi voluere impoſtores. Quod quidem ſi probari certis argumentis documentiſque poſſit; quis iſtud e re fidei Catholicæ neget eſſe? Quis neget illud ipſiuſmet Pſeudo-Auguſtini dictum, libro XVIII. de Civit. Dei, cap. xxxviii. jure uſurpari; *Hæc ſcripta caſtitas Canonis non recepit: non quod eorum hominum qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas; ſed quod iſta non creduntur ipſorum eſſe.* Satius multo certe et optabilius eſt, ut ſalva ſit reverentia debita ſanctis epiſcopis et Patribus, oſtendere ſcripta impia

impia eorum eſſe adſcripta nominibus; quam cum Melchiore Cano profiteri, Eliberitanos Patres, exempli cauſa, eſſe *impie locutos, canone* XXXVI. aut cum Launoïo affirmare, Auguſtinum eſſe Prædeſtinatianum: aut cum Ambroſio Catharino pronunciare, *Opinionem aſſertam a Divo Auguſtino et a Divo Thoma eſſe crudelem, truculentam, et homines in deſperationem impellere: neque auctoritatem horum Doctorum eſſe habendam in tali pretio, ut illa oppreſſi clauſis oculis amplectamur manifeſtum* MENDACIUM.

SELEGIT cohors impia aliquando viros ſanctos ex familiis religioſis, ſub quorum nominibus ſcripta impia publicaret; quamvis eſſent illi ſanctitate quidem, at non ſcientia celebres, dum vixere. Quamobrem fingi oportuit, fuiſſe illis eam ſcientiam, ſcribendique peritiam, quamvis eſſent ipſius Grammaticæ rudes infuſam divinitus. Vide in Breviario Romano lectiones de S. Anto-

nino, die 10 Maii, et de S. Laurentio Juſtiniano, die 5 Septembris. At neque iſtorum, nec Thomæ Aquinatis manu, vel littera quidem una uſquam ſcripta exſtat, de tot operibus eorum Philoſophicis, Theologiciſque.

Scio plus reliquis commovendos eſſe Proteſtantes omnes, qui ægre ferent eripi ſibi ſui erroris patronos, traditionemque in pergamenis tantummodo fundatam. Si Patribus, inquient, non creditur, quibus credetur? Non Patribus, inquam ego, ſed Matri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: quamquam et Patribus, quos quidem conſtiterit eſſe vere ſanctos Patres: quales agnoſco, ob poteſtatem in Eccleſiam tamquam in oves et filios, omnes ſummos Pontifices a Petro ad Benedictum XIII. Nam de ſingulis dicit omnis Chriſtianitas Catholica, *Noſtre Saint Pere:* Et eſt unuſquiſque eorum Pater Patrum, Pater Senatus Epiſcopalis, et PAPA, hoc eſt, Paſtor Paſtorum. Catholici non egent ullis ſcriptis vetuſtis;

vetuſtis: vel ſi periiſſent omnia, ſatis una illis eſt traditio non ſcripta perſeverans, tum in ſancta Eccleſia Romana, tum in univerſis orbis Eccleſiis, antequam hæreſes oriantur. At hæreticis ſubinde exorientibus, ne novi recenteſque videantur, opus eſt aliquot teſtibus, quos pro ſe ſtare oſtendant, quos eſſe ſtatuant veros Eccleſiæ fidei ſua ætate teſtes, idoneos ſcripturæ ſacræ interpretes, ſuiſque nihilominus hæreticis commentis ſuffragantes. Itaque hæc ſibi arma eripi ægre ferent.

At abſit ut Dei Eccleſia falſis teſtibus aut teſtimoniis egeat vel utatur. Potuit illa ſtare ſine ulla etiam ſcriptura divina; et ſic reipſa ſtetit ante ſcriptum a Luca Evangelium: ſola nitebatur Apoſtolica traditione; ſicuti nunc quoque ſtat ſola Paſtorum inſtitutione, et communione cum Apoſtolica Sede in maximo numero plebis Chriſtianæ. Quanto magis ſtare poteſt abſque eorum ſcriptis qui Patres vocantur; quorum eſt tam improba mens, ut ab ipſis etiam

etiam eorum defenſoribus Catholicis vario accipiatur ob dictorum perplexitatem? Cum proponitur Eccleſiæ vel Apoſtolicæ Sedi controverſia aliqua de fide dirimenda; numquid libros conſulere opus habet (eos intelligo, qui Patrum dicuntur); ut ſtatuat quid credendum ſit? Neſciebat ergo ipſa prius quid crederet. Abſit ut hoc quiſquam ſentiat vel dicat. Ignorat certe fidem ſuam, qui neſcit an fidei ſuæ contrarium ſit, quod ei proponitur. Ergo, ſepoſitis libris iſtis et neglectis, poteſt ac debet Eccleſia et Sedes Apoſtolica controverſias fidei definire: ac revera ſic facit. Cur quæreret Eccleſia ad definiendam aliquam de fide controverſiam quid ſenſerit Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, et alii? An debet Eccleſia ab illis doceri? Nonne ab illa, ſi et Catholici et Doctores fuerunt, ipſi didicerunt? Oblitáne eſt ipſa quid illos docuerit?

Eheu! quo ſanctiſſima Religio recidit? Non jam quæritur, non jam Chriſtiani ſatagunt,

ſatagunt, quid Chriſtus docuerit, quid Petrus, quid Joannes, quid Paulus ſenſerit: ſed quomodo qui creditur Auguſtinus, Chriſti vel Petri, Joannis vel Pauli verba intellexerit. Quaſi hanc eſſe oporteat credendi normam: aut inter natos mulierum non ſurrexerit major iſto Auguſtino. Oportet enim majori eum luce fuiſſe illuſtratum a Deo, quam ſcriptores ſacros omnes, quam Petrum, Paulum, et ceteros: quippe quos oporteat exiſtimare locutos eſſe obſcure aut minus accurate, niſi cum Auguſtino conſentiant, qui eſt locutus apertius et uberius. Non placet Chriſtus, non placet Paulus; non placent Pauli, non placent verba Chriſti, niſi interprete Auguſtino. Novus hic Paulus, novus hic Chriſtus eſt. Non jam Evangelium conſulitur, ſed Auguſtinus cum aſſeclis. Ex quo illud conſequuntur, qui id effecerunt; ut jam imperiti dubitent, num fides Eccleſiæ ſit eadem hodie atque Auguſtini ævo: quoniam perſpicue etiam ipſi intelligunt, nihil dici poſſe magis Eccleſiæ fidei contrarium et adverſum, quam eſt in

omnibus omnino capitibus Pſeudo-Auguſtinus. Et minus jam curant homines utrum ſint Chriſtiani, quam utrum ſint et dicantur Auguſtiniani. At mi ſatis eſt eſſe Chriſtianum.

QUAM valde optarem vel a ſancta Sede Apoſtolica, vel a ſacra Congregatione Inquiſitionis, exire ſimile edictum hujuſmodi! "Quoniam lites infinitas et interminabiles excitant Theologi ſuper dictis "Veterum; quæ lites dum videntur excitatæ ad tuendam fidem, extinguunt in "aliis fidem, in aliis caritatem; et quoniam "de multorum ejuſmodi ſcriptorum ſinceritate vel *νοθεία* a multis non ineruditis "diſputatur: Prohibet ſancta Sedes, ne "deinceps vel in ſcholis, diſputationibus ac "Theſibus Theologicis, aut in Concionibus, vel libris ſcriptis aut editis citentur "ſcripta illa, quæ Patrum vel Doctorum "Eccleſiæ vulgo appellantur, donec de illis "a ſancta Sede Apoſtolica definiatur ac "ſtatuatur. Prohibet etiam, ne legantur,

"præterquam

" præterquam a Doctoribus, quibus ea le-
" gendi fecerint poteſtatem Epiſcopi; ſed
" ab iiſdem Doctoribus prius requiſita per
" epiſcopos proteſtatione, ſe firmiter adhæ-
" ſuros ſacræ Editioni Bibliorum a Cle-
" mente VIII. Vulgatæ, Concilio Triden-
" tino, Conſtitutionibus Sedis Apoſtolicæ
" adverſus omnes hæreſes et libros hæreſi
" faventes, a Wiclefo uſque ad libros pro-
" ſcriptos a Benedicto XIII. incluſive. Pro-
" hibet denique, ne in iiſdem ſcholis, diſ-
" putationibus, concionibus, libris, &c.
" citentur ſcriptores ulli recentes, qui quod
" affirmant, prædictorum ſcriptorum vete-
" rum auctoritate tueantur; aut alio in
" rebus ad Religionem pertinentibus teſti-
" monio utantur, quam aliquo e proxime
" memoratis; Vulgatis nimirum Bibliis,
" Concilio Tridentino, Traditione non
" ſcripta, et Conſtitutionibus ſummorum
" Pontificum modo indicatis." Proh!
quantam Eccleſiæ pacem afferret tam Ca-
tholicum tamque Apoſtolica dignum Sede
decretum!

Si nihil de gratia efficaci per ſe, nihil de prædeſtinatione ante prævifa merita, ut in ſcholis utrumque intelligitur, Paulus in ſuis epiſtolis diſputat aut loquitur, ut in noſtra paraphraſi epiſtolarum ejus oſtendimus; Auguſtinus qui aliud et aliter docuit, novum et aliud in mundum Evangelium invexit. At quid dicit Apoſtolus de his qui transferri ſe ſinunt in aliud Evangelium? Neque vero *aliud* tantummodo iſtud Pſeudo-Auguſtini, ſed et contrarium Evangelium, et κακαγγέλιον eſt. Nos Evangelium unicum Jeſu Chriſti agnoſcimus, ſecundum quatuor Evangeliſtas, et epiſtolas ſacras ac divinitus inſpiratas, et ſecundum ſenſum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Evangelium Pſeudo-Auguſtini, ſimiliumque, non agnoſcimus. Singularem e contrario Dei providentiam prædicamus, qui non permiſerit ullum adhuc Auguſtini librum nominatim ab Apoſtolica Sede probari vel commendari: nec ulla Concilia vetera, ſive Romana, ſive Gallicana,

Gallicana, ſive Germanica, ſive Hiſpana, ſive extera.

PATRES novimus Epiſcopos omnes, qui in fide Catholica et communione cum ſancta ſede Apoſtolica defuncti ſunt: præſertim vero quos ex eo ordine in ſanctorum numerum Eccleſia retulit. Hi vere fuere Doctores Eccleſiæ; quoniam vel per ſe vel per alios docuerunt in Eccleſia ſanam doctrinam. Quæ cauſa eſt quamobrem in Officio Confeſſorum Pontificum de omnibus ſanctis Epiſcopis in R. VI. vere dicatur, *Omnis terra* DOCTRINA EJUS *repleta eſt.* Quid enim Patres ut Patres ſunt, niſi Doctores Eccleſiæ? En Epiſcopi ſancti a doctrina laudantur, qua terram omnem, hoc eſt, Eccleſiam, repleverunt. Nec quemquam certe ex eo ordine, aliove, in ſanctorum catalogum Eccleſia refert, niſi quorum ut mores, ſic etiam fidem probarit, ut diximus. At ſcripta Patrum quæ circumferuntur, ſcriptura eſt contra ſcripturam, impia contra ſacram: quamobrem effecere iidem artifices,

artifices, ut in ipſo etiam Romano Breviario plus legatur e Patribus, in Lectionibus nimirum, quam e ſcriptura ſacra.

Nulla rei Chriſtianæ perniciosior hæreſis hactenus fuit, aut eſſe poteſt omnino, quam quæ nunc viget, nec plus duratura, niſi mature tanto malo avertendo proſpiciatur. Contendet illa hæreſis ſe nihil de Deo, de Chriſto, de ſacramentis tradere, quam quod vetuſtis Patrum (ut appellant) libris, atque etiam Miſſalibus, Breviariis, aliiſque libris Eccleſiaſticis, continetur. Contra tantum malum doceri mature oportet, potuiſſe Eccleſiæ antiſtites alioſve decipi, cum tales libros, ſic interpolatos, ſuſcepere velut orthodoxis non nocituros; Eccleſiam interim, quantum ad ſenſa de fide, nec deceptam eſſe, nec decipi potuiſſe, nec poſſe. Cujus rei argumento evidentiſſimo eſt, quod aliter longe credit, quam verba ſonant talium librorum, et longe a ſenſu intento ab auctoribus; exceptis iis quæ ſunt excerpta e libris

libris ſacris editionis Vulgatæ, et ſacramentorum formis.

Nocuit hactenus incredibiliter rei Chriſtianæ eruditio, et quæ vulgo appellatur ſcientia. Nunc incredibiliter nocet eidem ignorantia fraudis adverſus ipſam dudum inſtructæ ab atheis. Ergo nunc tempus eſt, ut rei Chriſtianæ promovendæ ac tutandæ proſit vera ſcientia; cujus pars potiſſima ſit patefactio fraudis, quam excogitavere ad labefactandam religionem falſi nominis eruditi; ejuſdemque fraudis diligens et accurata confutatio.

V.

AIUNT Judæorum Rabbinos dicere ſolitos de Eſdræ temporibus; Huc uſque Prophetæ fuerunt: deinceps ſequuntur Sapientes. Qui Patrum ſcripta finxere, ſimile aliquid credi voluere in Eccleſia accidiſſe: Uſque ad Bernardum Patres, inquiunt: ſequuntur deinde Scholaſtici uſque ad Thomam: poſt illum omnes infantes. Id vero argumento evidenti eſt, multo poſt Bernardi tempora, cœpiſſe hos nebulones ſuam fraudem architectari.

CUR, amabo, aut unde Eccleſiæ diſplicuere Patres? Diſplicuiſſe enim quis non putet, cum videat eam ab annis amplius quingentis nullos appellare Patres? Quo autem decreto, quo id loco vel tempore vel auctore eſt conſtitutum? At meo certe judicio habuit et habet Eccleſia omni ævo Patres: epiſcopos videlicet doctrina et ſanctitate conſpicuos. Mihi unus ex Patribus

bus eſt S. Franciſcus Saleſius: unus ex ipſis eſt S. Carolus Borromæus: ſunt et alii ſane multi: nec alterius generis Patres habuit umquam Eccleſia.

O COECITATEM hominum ſingularem! Primis illis Eccleſiæ temporibus, quemlibet de Religione ſcriptorem, epiſcopum obſcuri cujuſque oppidi, preſbyterum, monachum, laicum, cenſent inter Patres: nullum pronunciant non cum reverentia ſuſcipiendum: Poſt ſæculum vero duodecimum, nullus deinceps Epiſcopus, Archiepiſcopus, ne Papa quidem, ſi ſcribat aliquid, inter Patres habetur. Et non hæc amentia eſt! Cauſam agnoſco: Afflati illi ſcilicet divino ſpiritu fuere: non ſunt ita aut ſunt raro valde, qui poſt Bernardum vixere. At Auguſtinus ex Manichæo et flagitioſo juvene, Ambroſius ex Præfecto et laïco, Chryſoſtomus ex cauſidico; omnes poſt converſionem repente docti et doctores; et (quod mirum magis) omnes ex æquo docti, omnes de iiſdem rebus edocti, de iiſdem hæreſibus et controverſiis,

ſcribunt ſtilo ſublimi, qui nunc intelligentia percipi non niſi ab eruditis ingenioſiſque poſſit.

## VI.

PRIMA ac potiſſima impio cœtui cura fuit ſacram ſcripturam depravare: hæc enim impiam hypotheſim funditus diruit: quare hanc habere ſibi conſentientem oportuit. Itaque primus illis ac præcipuus labor fuit ſcripturam ſacram perdiſcere, Concordantias texere, Commentarios cudere, textum corrumpere, ne unum quidem apicem intactum relinquere, qui ſuæ poſſet hypotheſi officere: diſcedere longiſſime ab Editione Vulgata; et quoniam neque poſſent hanc adulterare, et eam ſibi adverſari incredibiliter intelligerent, fingere eam recentiorem eſſe, Græcos quos finxere codices longe vetuſtiores eſſe affirmare.

De ſcriptura Vulgata dicimus, quod Pſeudo-Auguſtinus de libris ſacris, libro

LXXXIII. Quæſt. quæſt. 68. *Libros quos Catholica diſciplina cuſtodit, falſatos eſſe nequaquam exiſtimamus.* Quin immo, nec falſari poſſe contendimus. Nullus alicujus religionis vel ſuperſtitionis liber, ex quo venit in manus hominum illius ſectæ, habituſque pro ſacro eſt, poteſt adulterari; niſi ab illis, qui eamdem formam religionis perditam velint; ne Alcoranum quidem. Sic neque Vulgata Editio, ex quo cœpit eſſe in uſu fidelium: præterquam quod accedit huic conſervandæ præcipua tutela Numinis. Itaque cohors impia, ſpe depoſita corrumpendi libros ſacros Latinos, qui omnium manibus tererentur, ad Græcos de novo cudendos, Hebraïcaque exemplaria, quæ pingerent eleganter, adulteranda, ſe converterunt. Latinos etiam corruperunt, ſed quos abderent in Bibliothecis; quoniam nec eripi Vulgata vetus poſſet ex manibus totius populi Chriſtiani ubique diffuſi; nec quos ipſi libros corrupiſſent, in omnia diſtrahi oppida, in omnes diœceſes et parochias Chriſtianas. Ergo abdidere Hebraica

iſta Latinaque adulterata, et Græca a ſe confiſta, in Bibliothecis; unde ſuis temporibus ea extraherent, veluti tela ex armamentariis, ad oppugnandam Catholicam fidem.

In Græcis autem codicibus varias etiam finxere lectiones; ut idem in Latinis olim accidiſſe ſimiliter ſuaderent; et in libris, quos in Bibliothecis repoſuiſſent, exſtare has diſcrepantes lectiones. Et nunc quidem licet adhuc cuilibet nebuloni ac mendaci fingere ſimiles variantes lectiones, ut vocant. Certe ſi velim ego hodieque codicem Græcum fingere, et ex eo variantes lectiones mittere Oxoniam, ubi Novi Teſtamenti editio nova paratur, magna pompa verborum prædicabitur codex noſter: inter ceteras lectiones noſtra quoque locum habebit: et ab aliquibus primum, mox a pluribus magni fiet, in pretio erit. Cur autem Græci codices huic etiamnum patent injuriæ, a qua Vulgata Editio immunis eſt? Quoniam manibus omnium Vulgata tene-

tur: ac ſi codicem ego meum corrumpam, non continuo ad aliud ejuſdem non dico civitatis, ſed domûs etiam exemplar, nedum ad cetera Chriſtiani orbis exemplaria, vulnus illud poteſt pervenire: Græci vero codices a ſolis doctis volvuntur; necdum eruti creduntur omnes e Bibliothecis.

At non eſt data a Deo ſcriptura, ut in Bibliothecis reconderetur: nec ſcribebantur libri ſacri ante exortum impiæ factionis ut ibi reponerentur; ſed ut legerentur ab ementibus. Nec poterat propterea ullum ex illis exemplaribus adulterari, quin ſtatim fraus deprehenderetur. Itaque factio improba hanc rationem adinvenit, qua minus accuratam nec ſatis certam poſteri exiſtimarent Editionem Vulgatam; quantumvis ſit reipſa intacta et integra: ſi nimirum quos ipſa cudiſſet codices, et in Bibliothecarum forulis repoſuiſſet, auctoritatem obtinerent tum ex vetuſtate, tum ex aliorum teſtimonio librorum. Sic enim fore ſperabat, ut quantum fidei fumoſis iſtis voluminibus conce-

deretur, ex quibus ſua poſteri emendanda exemplaria crederent, tantum detraheretur ubique ſimul ac ſemel Editioni Vulgatæ. At id ſolis perſuaſere hæreticis, ſuique ſimilibus, aut falſi nominis eruditis. Auctiores etiam fecere codices ſuos additis duobus Eſdræ nomine libris, tertio nempe quartoque, præter alia. Sed repudiati ſunt illi ab Eccleſia, quod eos ab initio non agnoviſſet, et abeſſent ii ab illis exemplaribus, quæ plebs omnis Chriſtiana haberet.

Quod ſi in libris ſacris Veteris et Novi Teſtamenti, qui ſunt Græce ſcripti, manifeſta corruptio, adulteratio, falſatio eſt; manifeſtum oportet eſſe ſuſceptam eam falſationem eſſe ad Religionem labefactandam: nec in libris illis dumtaxat, ſed in aliis omnibus, in quibus ſimilia falſitatis indicia ſe offerunt. Nam ſi tantum auſi ſunt illi in libris ſacris, quanto id facilius potuere ſuppoſitis Auguſtini, Ambroſii, aliorumque ſanctorum nomine voluminibus?

Benedictinus quidam objecit P. G. ipſum inducere Pyrrhoniſmum. Dictum amenter. Nam ita ſuſpicari nemo homo potuit, niſi qui ſic ratiocinaretur: Non eſt certior Vulgatæ Editionis incorruptio, quam ſunt noſtra Diplomata. Ergo qui de horum integritate vult dubitari, vult idem in dubium revocari vetuſtatem et incorruptionem Editionis Vulgatæ. Idem dici ſane potuit, de ſcriptis quæ vulgo ſcripta Patrum cenſentur eſſe, ac de Diplomatibus. Amens ſit autem vel impius, qui dixerit non eſſe Vulgatam Editionem certioris vetuſtatis, ob eam quam diximus cauſam, ob teſtimonium Eccleſiæ ſcilicet, tum Romanæ primum, tum per univerſum orbem diffuſæ, quam ulla quæcumque ſcripta alia.

Libri ſacri Novi Teſtamenti idcirco ſunt ſacri, ut diximus, quia ſunt ſcripti ab Apoſtolis, quos ipſe Chriſtus Dominus voluit eſſe magiſtros orbis, vel ſcriptores rerum ab eo geſtarum Apoſtolica auctoritate.

Quod

Quod ſi Deus non eſt niſi Recta Ratio, aut Lumen naturale, aut Veritas æternarum omnium veritatum (nam hæc eodem recidunt): nulla cauſa eſt, cur hi ſcriptores Rectam Rationem pervideant magis quam alii. Eam ob rem et Auguſtino, aliiſque, quos Patres vocarunt, par auctoritas data eſt ab impia cohorte, ac ſacris ſcriptoribus: neque tantam iſtis credi voluere auctoritatem acceſſiſſe, eo quod ad id delecti a Chriſto vel Apoſtolis fuere; ſed ob conſenſum plurimarum Eccleſiarum, qui progreſſu temporis obtigit. Propterea primum quidem, quædam Apoſtolorum ſcripta, ut Pauli epiſtolam ad Hebræos, Joannis ſecundam et tertiam, Judæ et Jacobi ſingulas, et Apocalypſim, finxere fuiſſe diu revocatas in dubium. 2. Ipſorum nomine Apoſtolorum Evangelia et epiſtolas finxerunt, ut Petri, Andreæ, Pauli, aliorumque; quæ ſcirent repudianda ſemper eſſe: eo conſilio, ut quæ habemus Apoſtolica ſcripta, non idcirco recepta in Eccleſia eſſe exiſtimentur, quia Apoſtolica ſunt; ſed quia pluribus

Eccleſiis

Eccleſiis tamdem placuerunt. Sic voluere conciliare auctoritatem libro tertio et quarto Eſdræ: ſed non potuerunt contra vim veræ Traditionis. 3. denique: nondum ſæculo duodecimo receptos fuiſſe in Canonem credi voluere libros Sapientiæ Salomonis, Eccleſiaſtici, Judith, Tobiæ, et Machabæorum, teſte Hugone Victorino, quamvis ii leguntur in Eccleſia.

In ea hypotheſi impia, ex qua conſequitur, verbum Dei ſcriptum non eſſe niſi verbum Rationis univerſalis, neceſſe eſt explicari allegorice omnia præcepta Legis cærimonialia et poſitiva; neque ea ſolum, ſed et facta quæcumque hiſtorica: ſiquidem Ratio univerſalis dictare non poteſt, niſi præcepta univerſalia et moralia. Hinc neceſſitas oritur totam ſcripturam allegorizandi: id quod Catholici deteſtantur. Id vero ne mirum videretur, finxit improba factio præcepta Pythagoræ aliorumque nominibus, quæ non niſi litterali ſenſu intelligere velle perabſurdum foret. Unde colligi

ligi iſti voluere fore abſurdum, ſi Moſaïca præcepta ad litteram ſolummodo intelligerentur. Eamdem ob cauſam fabulas etiam confinxere affines illis narrationibus veriſſimis, quas ſcriptura ſacra continet; nempe ut utræque ex æquo pro ſymbolicis factis acciperentur, quæ et Natura ubique præſtat ex æquo, et ubique ex æquo ad componendos docendoſque mortales adhibet. Ita promiſſiones temporales veteris Teſtamenti exponere allegorice facile fuit. At in libris hiſtoricis ut petitiones bonorum temporalium et eorumdem largitiones, et temporalium pœnarum immiſſiones a Deo allegorice exponerentur, fieri omnino non potuit. Idcirco nulli fere Commentarii ſunt ſcripti in Tobiam, Judith, Eſther, et Machabæos. Libri ſunt, ut credi voluere, ſecundæ claſſis.

VII.

## VII.

NUNC demum mihi manifeſtum eſt ante ſæculum decimum quartum iniens, aut deſinens decimum tertium, non habuiſſe Græcos aut Biblia, niſi Latina; aut Liturgiam, niſi Latinam; uti nunc in Indiis, et America tota. Mihi manifeſtum eſt, inquam, Græca Biblia, cum eadem illa ſint quæ apud nos ſunt, non ante illud tempus eos illa habuiſſe, ne Pſalterium quidem. Sunt enim ea incredibiliter corrupta, compoſitaque ad hypotheſim impiam, quæ Deum eſſe aliquem verum negat. Eam ob rem Græci nondum habent Vetus Teſtamentum typis editum; quoniam nec habuere umquam textum unum communem ac certum, eo quod diſcrepant inter ſe plurimum codices manuſcripti; necdum convenire inter eos potuit de uno certo ſeligendo contextu, ut vocant; ſicuti de Novo inter eos convenit, ſed ex anno tantum 1638.

Error de proceſſione Spiritus ſancti ex ſolo Patre, a ſola exortus eſt impia factione; nihil certius: ſiquidem Manentia in eſſe, quæ eſt in hypotheſi impia Spiritus ſanctus, eſſe vel procedere (proceſſione utique metaphorica) non poteſt niſi ab Eſſe ſolo; qui cœtui impio Pater eſt: a Veritate Entis, qui Filius eſt, non habet eſſe; ſed ab Eſſe tantum. Ergo ſchiſma Græcorum non niſi ab impia factione cœpit. Ergo cum citiſſime ſæculo decimoquarto ineunte, vel deſinente decimo tertio. Ergo tunc quoque mutavit Græcia ritus ſacramentorum, quos cum Romana Eccleſia prius communes habuerat; iis ſolum exceptis, quos adhuc in ipſa Apoſtolica Sedes agnoſcit. Quæ ſint ex his conſectaria, aliis in præſenti conſiderandum relinquimus.

Scripta omnia Græca, ſæculi decimi quarti et quinti, de Spiritus ſancti proceſſione, ac proinde cetera, adeo ſunt ſimilia inter ſe, verbis ipſis atque ſententiis (nam alter

alter alterum plane deſcribit, Beſſarion Calecam, aliique alios) ut fieri omnino non poſſit, quin omnia fuerint uno tempore et in eadem officina conflata: hoc eſt, quin omnia trium iſtorum ſæculorum, XIII. XIV. et XV. cuſa ſint decimo tertio exeunte, ſive ineunte decimo quarto ſub aliis atque aliis, vel ſub nullis nominibus; quæ deinde nomina adjecta ſint, cum quibuſdam additis temporum circumſtantiis, ut viderentur eſſe opera trium iſtorum ſæculorum.

Magno ſtudio, labore, conſtantia, hiſtoriam in primis Byzantinam, libroſque Græcos cudi et continuari uſque ad tempora fere Leonis X. maxime oportuit: quoniam in eo tractu fuere Concilia collocanda, et hæreſes, et Patriarchæ: quorum ſi quid ſimile fuiſſe diceretur in occidente, ſtatim refellerentur auctores fabulæ conſtanti provinciarum ſuper his rebus omnibus ſilentio. Idcirco neceſſe fuit neſciſſe diu occidentales, quid id oriente tot ſæculis factum fuiſſet; ediſcendum illud eſſe ex libris in oriente

cuſis

cuſis (ut credi voluere): et inde circa tempora captæ Conſtantinopoleos in occidentem univerſum ſparſis. Hinc tot hiſtoriæ Byzantinæ volumina ſunt; hinc tot Græci Patres, hiſtorici, aliique ſcriptores, tamen omnes in occidente ex impia officina exorti.

Ficta tranſlatio Imperii in orientem fecit, ut et ſe Patriarcham et œcumenicum et parem ſummo Pontifici credat epiſcopus Conſtantinopolitanus, perſuaſeritque hanc amentiam toti propemodum orienti: et Turcarum Imperator (quod de Solimano referunt Annales ſub initium ſæculi decimi ſexti) jactet ſe Conſtantini ſucceſſorem eſſe, et ad ſe pertinere propterea utrumque Imperium, orientale et occidentale.

Cum quatuor in oriente Patriarchatus confingerentur, id ſequebatur, ut quatuor deceret eſſe ſuperiores ac potiores uno quinto, ſi ſolus iſte aliquid teneret contra ceterorum quatuor cenſum ac ritum: exempli gratia,

gratia, ſi defenderet produci Spiritum ſanctum a Patre et Filio, ſervanda azyma, aliaque ſimilia.

Quæret aliquis quomodo et quando perſuaſum ſit Græcis, ut mutarent ritum Romanum, et illum quem nunc habent aſſumerent. Id factum aïo videri ſæculo decimo tertio exeunte, vel ineunte decimo quarto: captam occaſionem eſſe ex odio Græcorum in Latinos; quibus tamdem pulſis Conſtantinopolim paulo antea receperant. Id, inquam, tam fuit illis facile perſuaſum, quam perſuaſum fuit aut fuiſſe dicitur Papæ Gregorio XI. officium Præſentationis Beatæ Virginis Mariæ antiquiſſimum fuiſſe in oriente, in occidente vero aut incognitum aut obliteratum: cum tamen et illud officium et approbatio Gregorii Pontificis, et epiſtolæ Caroli V. Regis Francorum ſuper ea re, nuſquam alibi exſtent, quam in MS. Victorino, I. 12. fol. 2. Vide Spondanum ad annum 1372. num. IX. Nec receptum illud officium eſt

in Breviarium Romanum, ante tempora Pii II. et poſtea paulatim in occidente; alicubi etiam vix poſt annos ſexaginta. Factum id demum eſt apud Græcos, ea facilitate, qua etiam lapſam oblivionique datam fuiſſe ſolemnitatem Stigmatum S. Franciſci, perſuaſum eſt Paulo V. ut in lectionibus Breviarii Romani antiquis narratur.

Persuasit, inquam, cohors improba et impia Conſtantinopolitanis in primis, unde error ad reliquos facile dimanavit, ſæculo decimo quarto; ritum Latinum in ſacramentis conficiendis et miniſtrandis, recentem eſſe, Romæ excogitatum, aut in Latino ſaltem orbe: et amplificandi ſui dominatus cauſa illum in ipſam Græciam invexiſſe Romanos. Græcanicum eſſe vetuſtiorem conſtare ex Liturgiis, quas nempe confinxerant Baſilii et Chryſoſtomi magnis nominibus, aliiſque ex monumentis.

Maxima

Maxima fuit impiæ cohorti cura, ut Patres et ſcriptores hiſtoricos Græcos magno numero fingerent, uſque ad captam a Turcis Conſtantinopolim, et citra. Quippe ſic facto opus, ut et Græcos in ſuas partes traherent, ficta et exaggerata prærogativa Sedis Conſtantinopolitanæ; et Latinis, qui hos libros pervolutarent, ſcrupulum injicerent, ſtandumne ſit dogmatibus et placitis Græciæ eruditæ, et celebrioris olim (ut credi curarunt) Eccleſiæ, quam Latinæ. Eam ob rem Græcos e patria profugos numerata pecunia conduxerunt; ut quæ primum ipſi Latine ſcripſiſſent aut Gallice, in Græcum ſermonem converterent.

Inde fit ut in Bibliotheca Regia et Colbertina plures multo ſint codices manuſcripti Græci, quam in oriente toto; uti quidem ab oculatis teſtibus accepimus: quoniam in Gallia nimirum ſunt omnes confecti, uſque ad ſæculum fere xv. deſinens. Inde Gallicıſmi multi apparent in

Græcis ipſis. Latina quædam, quæ ut in Græcum verterentur, non ſatis otii aut pecuniæ fuit, pro Latina ex Græco interpretatione fuere aſſervata. Quædam e Græco jam facto ex Latino, rurſum in Latinum ſermonem ſunt converſa, ut Synodicon et Acta Conciliabuli Epheſini. In Gallia divulgabant artifices allata eſſe Acta Conciliorum, alioſque Græcos codices. Orientalibus e diverſo perſuaſum, ex Patriarchali Eccleſia Romana, ad quam fuiſſent primo tranſmiſſa, deſcripta fuiſſe. Sic ille dixiſſe fingitur in ſexta ſynodo, act. XIV. pag. 1363. editionis noſtræ: *Veniens de occidente, adduxi librum quinti Concilii.* Sic collectio Græca Regia 2951. ſcripta Romæ primum anno 774. et ex illis Actis confecta fingitur. Scripſiſſe eam aït ipſe ſe Joannes Cinnamus, in fine, anno 1276. Sed fictum Cinnami nomen: nec dubitamus, quin anteriorem multo annum falſarius adſcripſerit. In papyro ſcripta eſt, quali hodieque Orientales utuntur.

BENE-

Benedictini Latini Genua Conſtantinopolim miſſi ibi Eccleſiam dedicarunt anno MCCCXCV. Quid ſi circa id tempus aut aliquanto antea eo ipſo ſæculo ab illis ex occidente eo tranſvecti ſunt libri Græci, quos hic confictos fuiſſe dicimus, Liturgiaque mutata? Inſcriptionem ibi repertam, cum anni illius nota, oſtendit mihi P. Petrus Beſnier, e noſtra Societate, qui Conſtantinopoli deſcripſit. Græci ritus quos aliquanto tempore, puta decennio, uſurparint, ſtatim Apoſtolicas traditiones vocant. At profecto ab impoſtoribus decepti, accepere quos habent a Latinis diſcrepantes, nec ab Apoſtolica Sede probatos.

Ante *annos* XX. inquit Scaliger, epiſt. 157. ſcripta die 13. Maii, 1602. pag. 380. *cum Meletius Syriga* πρωτοσύγκελλος Σιλβέστρου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας *adhuc eſſet, Reginæ Navarræ pyxidem inſtructam gemmis cum epiſtola Græca miſit, ut Baſilii, Chryſoſtomi, Nazianzeni, exemplaria,* QUÆ ALIUNDE

 NANCISCI

NANCISCI NON POTERAT, *ſibi mitteret.* Nempe quia reipſa ſcripta confictaque ſub illis nominibus opera illa fuere, nec ulla ſunt in oriente, vel fuerunt, niſi quæ illuc ex occidente tranſlata: nec ulla certe ante ſæculum decimum quartum jam adultum. Ea cauſa eſt quamobrem pauci admodum Græci ſcriptores converſi ſint in linguam Ruthenicam. Vide in apparatu Poſſevini, pag. 364. tom. ii. Ad Æthiopas vero ſoli delati ſunt libri Græci, iique perpauci, nec ante ſæculum XVI. Vide Hiſt. Æthiop. lib. iii. c. 4. n. 41, 42. &c. et c. 6. n. 49.

GRÆCI ſcriptores, præſertim in Enarrationibus in Scripturam, plus Βαττολογοῦσι quam Latini; certi nimirum a paucis ſe lectum iri; nec proinde multum referre quid ſcriberent, dum volumina magna conflarent. Sic eſt Gregorius Nyſſenus, toto tomo primo, homo verboſiſſimus.

E PATRIBUS Græcis cur nullus omnino e Græcia proprie dicta exſtat, præter Dionyſium

nyſium Areopagitam? cur nullus e Græcia illa erudita? An quia difficile eſt Attice loqui, idcirco nemo auſus eſt Atticum ſe mentiri? At ne Dionyſii quidem ſtilus Atticus eſt. Omnes Græci ſcriptores eadem utuntur dialecto, etiam ii qui ſcripſiſſe dicuntur, antequam ſedes eſſet Imperii poſita Conſtantinopoli. In ſermone Gallico videmus mutationes maximas ab annis quingentis. In Græcis Patribus et hiſtoricis ne tenue quidem veſtigium mutatæ per annos mille et quingentos linguæ apparet: eadem omnes dialecto, eadem omnes ſyntaxi utuntur. Tam terſus Balſamon, quam Juſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus. Sic in Latinis eadem linguæ elegantia facundiaque ſcribunt Auguſtinus, Bernardus, Algerus, &c.

Ex horum lectione librorum hauriunt Græci in Occidente, ac Romæ præſertim educati, unde Græcorum errores omnes defendant pertinaciſſime. Quos ſi docerentur ac ſcirent eſſe ſuppoſititios et agminis

ſcelerati fœtus, carerent armis, quibus obſiſtunt veritati.

Sæculo ſexto nulla eſt conficta nova hæreſis: idcirco pauca ſunt admodum ea ætate ſcripta Patrum Græcorum. Ex his Procopius in ſcripturam, ſuum opus ipſe profitetur, conflatum ex priorum lucubrationibus eſſe. Poſt ter tria a Chriſto nato ſæcula ſyſtema impii gregis confectum exhauſtumque erat. Propterea ſæculo decimo nulla propemodum exſtant ſcripta, ſive Græca, ſive Latina: ſæculum ignorantiæ exinde appellarunt.

VIII.

## VIII.

INTER cetera cœtus impii conſilia, poſt bellum Deo ipſi indictum, etiam ut ſummi Pontificis auctoritatem ac poteſtatem imminueret vehementiſſime laboravit. Nullo non ſæculo fere aliquem ex ſummis Pontificibus in fide erraſſe finxit. Tertio certe Marcellinum idololatram prodidit, quarto Liberium Arianum, quinto Zoſimum Pelagianum, Arianum Hormiſdam ſexto, et Vigilium Eutychianum; ſeptimo Monotheletam Honorium: hoc eſt, in præcipuis quatuor de Chriſto capitibus hæreticos, et cum nova defuit hæreſis, quam iiſdem impingerent, fecere decimo ſæculo prodigioſe impudicos.

Cur fictum Italiæ regnum? nempe ut poſitis tantum regibus in Italia, Conſtantinopoli Imperatoribus, Epiſcopus Urbis Imperatoriæ de primatu contenderet cum Epiſcopo Romano: et ut Papa nemo eſſet

abſque aſſenſu Regum Italiæ. Vide Anſelmum Havelbergenſem, libro tertio.

An potuiſſet Imperatorum aliquis velle cogere Concilia, ut de Conſtantino, et de Theodoſio utroque, aliiſque finxere: niſi ficta eſſet Romanæ hiſtoriæ hujuſmodi, quæ Imperatorem exhiberet ſummum Romani Imperii arbitrum; nec penes Rempublicam ſive Senatum partem ullam fuiſſe poteſtatis, ſed tantum adulatorie ſerviſſe Auguſtis, amiſſa libertate? At illa imperii Romani forma, fabula mera eſt, teſtimonio nummorum amplius mille et quingentorum a nobis confutata.

Omnes ſedes Patriarchales habuiſſe finguntur hæreſiarchas antiſtites, aut hæreſium certe fautores inſignes: Alexandrina, Dioſcorum, Petrum Moggum, &c. Antiochena, Paulum Samoſatenum, Petrum Cnapheum, alioſque: Romana, Honorium Liberiumque. Ne ſedes Petri ſcilicet ali-

cubi eſſe erroris expers exiſtimetur, aut magis Romæ, quam alibi.

Qui falſos Patres pro veris habent, et juxta horum unanimem conſenſum ſcripturam ſacram jubent intelligi, iidemque nihilominus gerunt ſe pro ſtrenuis defenſoribus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, et auctoritatis atque infallibilitatis Pontificiæ; ii, inquam, valde premuntur ab adverſariis. Probant enim hi facillime hæc Chriſti verba; *Tu es Petrus, Paſce oves meas, Confirma fratres tuos*, ex unanimi Patrum illorum conſenſu non dare Summo Pontifici ſupremam ſupra Eccleſiam et Concilium auctoritatem, aut in definiendis fidei controverſiis ſummam poteſtatem et quam vocant infallibilitatem. Sic urget acriter Bellarminum Launoïus in epiſtolis, tomo quinto.

Calviniani, aliique, qui perviderunt D. Petrum numquam Romam veniſſe, argumento utebantur eo adverſus Catholicos,

quod vocant ad hominem. Ex vobis, aïebant, non eſt ſucceſſor Petri Romanus Pontifex, niſi Petrus ipſe Romam viderit. Atqui Petrus certe Romam non vidit. Ego vero nego prorſus primam propoſitionem. Neque eſt ſucceſſor Petri Epiſcopus Urbis Romæ; ſed ut ſemper ſolet ſubſcribere in Bullis et Conſtitutionibus, *Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus*. Quam ob rem ſunt comparate ad Papam, qui eſt Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ, epiſcopi reliqui, quod comparate ad Regem Gubernatores provinciarum ac civitatum: quod comparate ad Regium ſive Generalem Procuratorem ii, qui ipſius Subſtituti, et quaſi Vicarii, appellantur.

Ficta eo conſilio eſt ſortitio provinciarum inter Apoſtolos, ut exiſtimetur non plus Petro, quam ſingulis aliis datum fuiſſe: ſed forte Romam ei obtigiſſe, Jacobo autem Hieroſolymam, Æthiopiam Matthæo, Thomæ Indiam, et ſic de ceteris. Atque ut id certius poſteris conſtaret, etiam in quibuſdam Martyrologiis feſtum illud Diviſionis

ſionis Apoſtolorum conſignarunt die xv Julii apud Latinos, in Uſuardo ſcilicet Roſweydi; *Ipſo die, diviſio Apoſtolorum ad prædicandum.* Officium eo die de ipſa fit in Breviario Herbipolenſi.

Quemadmodum Petro curæ fuit poſt Judæ interitum, ſubrogari alium in ejus locum, qui eſſet duodecimus, judicaturus (ut Chriſtus promiſerat) poſt deſcenſum Spiritus ſancti duodecim tribus Iſraël; ita neceſſe fuit Petro defuncto, a majoribus natu, hoc eſt, ab epiſcopis et preſbyteris, qui erant in comitatu Petri, alium ſuffici e ſuo cœtu, qui idem munus ſuſciperet ac ſuſtineret, qui confirmaret fratres, qui claves haberet, et in univerſa Eccleſia poteſtatem, quam diu, ut Chriſtus promiſit, ædificaretur. Uni enim Petro ceteri Apoſtoli commendantur a Chriſto Domino confirmandi. Erunt autem in Eccleſia ſemper, ut hæreſes, ſic et Epiſcopi qui ſint in fide confirmandi. Ergo ab aliquo uno, qui Petro ſit par poteſtate; ac proinde etiam infallibilis judex contro-

controverſiarum: alioqui non poſſet alios in fide confirmare.

Certissimum perpetuæ in Eccleſia traditionis et doctrinæ argumentum, Papæ dignitas ac poteſtas eſt. Nam ſi libri corruunt, ut neceſſe eſt corruere, quos conſtet eſſe conditos ad atheïſmum inducendum; oſtendi deinde non poteſt, unde aut ecquando, niſi a Chriſto, ea eſſe cœperit: nec poterit ullo argumento probabili ſuaderi, non eamdem ſemper fuiſſe, ac nunc eſt, ſummorum Pontificum poteſtatem in quæſtionibus fidei definiendis. Poteſtatem habuiſſe eos aliquam temporalem ante ſæculum decimum non liquet: ſed ex illa ſaltem ætate habuiſſe, ex nummis antiquis liquet.

Itaque ut primatus Papæ penitus abrogaretur, qui ubique ſummo conſenſu agnoſcebatur, cum agmen impium eſt exortum, fieri non potuit. Concedatur ergo ei ſane, aïebant: ſed 1. poſtquam oſtenſum fuerit, prioribus

prioribus Eccleſiæ ſæculis non ſic cenſuiſſe Patres Græcos, Latinos, Afros: conceſſus dicatur a conciliis, non a Chriſto. 2. Lites confingantur ſuper ea re motæ plurimæ, nec umquam finitæ. 3. Summa poteſtas in primatum, hoc eſt, in primum dumtaxat inter pares locum mutetur: ita ſcilicet ut Conſtantinopolitano Antiſtiti tribuatur ſecundus dignitatis et juriſdictionis locus; et Patriarchæ conſtituantur quinque pares. Propterea Conſtantinopolitano mature, hoc eſt, jam a quarto ſæculo quintove prærogativæ pares adtributæ, multo vero magis ſæculo nono: ut eſſet ultimis temporibus, qui ſe Romano Pontifici opponeret: adjecta etiam contentione de fide; nempe de proceſſione Spiritus ſancti: quoniam in eo genere æterna diſſidia ſunt: ceteræ controverſiæ poſſunt amice componi. Ita facile perſuaſum eſt Patriarchis Orientis, ut ſe juriſdictioni Vicarii Chriſti Servatoris ſubtraherent. Fecere id ſcripta ab impio cœtu monumenta; quæ vel hinc ad illos delata, vel in occidente, maxime vero in

Academiis Collegiiſve Italiæ, ubi litteris operam dederunt, lecta ſedulo ab iiſdem fuere.

## IX.

CATHOLICA fides ſolo Dei verbo nititur, tum ſcripto in libris canonicis, tum per manus tradito, uti definit Concilium Tridentinum. Hæc autem traditio non eſt ulli errori obnoxia, quoniam eſt a Deo docente mortales, quid de ſe rebuſque a ſe inſtitutis credi velit. Eſt infallibilis, inquam, ea traditio multo magis, quam eſt infallibilis ea, quæ tenet Ludovicum XV. Regem Francorum ex nobiliſſima et perantiqua ſtirpe eſſe: Etiamſi libri id nulli docerent, nulla alia monumenta, infallibilis ea traditio eſt. Sic eſt apud Catholicos traditio, non ſolum de reliquis fidei capitibus, ſed de conſtanti ac perpetua ſucceſſione Pontificum a Petro ad Benedictum XIII.

Nos Catholici ſimiles ſumus illorum nobilium virorum, quorum indubitata et confeſſa apud omnes nobilitas eſt. Non egemus ſcriptis ullis ad fidei noſtræ antiquitatem probandam: quemadmodum illi primariæ nobilitatis viri non quærunt tabulas vel membranas, quibus ſuam fulciant nobilitatem; uti ſollicite faciunt ii, qui dubiæ nobilitatis ſunt. His ſimiles ſunt hæretici, qui teſtes quærunt, fidei ſuæ ſive infidelitatis potius ſocios ac patronos; alii Patres Ante-Nicænos, alii alios. Atqui hoc eſt niti teſtibus forte ſuppoſititiis. Quid enim ſi Calvinianis aliquis aliquando oſtendat, Auguſtinum eſſe ſuppoſititium; quemadmodum illi putant ſe oſtendiſſe Anglicanis ſuppoſititias eſſe Ignatii epiſtolas; quamvis fide hiſtorica (ut quidem creditur) annorum mille et quingentorum receptæ eſſent ut ſinceræ; nonne illis merito diceret; Vana eſt veſtra religio: quemadmodum Anglicanis ipſi dicunt, Vanus eſt epiſcopatus veſter; qui ſolis Pſeudo-Ignatii epiſtolis nititur?

Quod dicitur, Nihil credendum niſi ſcriptum, quomodo probatur? Ubi ſcriptum illud eſt? Si ſcriptum non eſt, neque ipſum etiam credendum eſt. Si verum illud eſt, Nihil credendum niſi ſcriptum; cum illud ſcriptum nuſquam ſit, neque iſtud ipſum credendum eſſe neceſſe eſt. A quo deinde tempore cœpit iſtud eſſe verum? Et qua quis poteſtate iſtud definiit? Apoſtoli certe contrarium docuerunt: ſiquidem regulam fidei eſſe dixerunt, id quod, priuſquam ipſi aliquid ſcriberent, per prædicationem docuerunt. 1 Petr. i. 15. *Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc eſt autem verbum quod evangelizatum eſt in vos.* Non dicit, *quod ſcriptum*, ſed *quod evangelizatum eſt*. 1 Joan. ii. 24. *Vos quod audiſtis ab initio,* non dicit, *quod ſcriptum legiſtis, in vobis permaneat*. Jam Chriſtianis ſcribebant: ergo erant Chriſtiani non per libros ſcriptos, ſed per Apoſtolicam prædicationem. Denique ſtultum eſt dicere, nihil eſſe certum de fide, niſi quod ſcriptum

in

in Conciliis: cum et ipſa Concilia vetera, ut nunc ſunt, fidei dubiæ ſint; neque quidquam definiatur inConciliis, niſi ob malitiam hæreticorum, a traditione diſcedentium; nihil proinde quod non eſſet prius de fide.

IPSEMET Pſeudo-Irenæus, qui ſcripſiſſe creditur anno 200. *Quid autem*, inquit, *ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt ii, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Chriſtum credunt, ſine charta et atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, et veterem Traditionem diligenter cuſtodientes*, &c.

PSAL. xliii. I. *Deus, auribus noſtris audivimus: patres noſtri annunciaverunt nobis.* Non credunt illi ſcripturæ, quia ſcripta eſt; ſed quia refert ea, quæ patres ſui ipſis annunciant. Pſal. lxxvii. 3, 6. *Quanta audivimus*, non *quanta legimus, et*

*cognovimus ea: et patres noſtri narraverunt nobis? Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera: filii qui naſcentur, et exſurgent, et* NARRABUNT *filiis ſuis.*

Exod. iii. 6. *Ego ſum Deus patris tui:* quaſi diceret, Si vis noſſe me, diſce a patre: nec alium teſtem deſidera.

Deut. xxxii. 7. *Interroga patrem tuum, et annunciabit tibi: majores tuos, et dicent tibi.* Non dicit, *Interroga libros.*

Traditio Chriſtiana, Apoſtolica, et divina, continetur in dogmatibus, quæ Eccleſia credidit, uſque ad exortum hujus ſcelerati agminis. Quæ autem ipſa credidit illis temporibus, ea ipſa ſunt, quæ cœtus impius impugnat ſub fictarum hæreſium nominibus. Neque enim ea impugnaret, niſi ea intelligeret credi in Eccleſia, et ſuis contraria placitis. Atqui hæc quæ impugnat, noſtra ſunt omnia. In noſtris igitur placitis continetur Traditio Apoſtolica, Chriſtiana, et divina.

Si

Si nulla eſſet traditio ſcripta, eſſet vera nihilominus, ac veriſſima fides, quam laudat Apoſtolus: *Fides ex auditu:* non dicit *ex lectione* eſſe.

Si Traditio non eſt conſtanter ſervata poſt Apoſtolos ſine ſcriptis, felicior in ſecta ſua Mahometus, quam Chriſtus. Sacramenta in Eccleſia ſunt ex traditione, quemadmodum (ſi fas eſt ea comparatione uti) apud Turcas ex traditione circumciſio eſt; cujus in Alcorano ipſo nulla mentio eſt. Sed in Eccleſia traditio, veritatis; extra Eccleſiam, erroris confirmatio eſt. Et certe voluiſſet, opinor, Mahometus circumciſionem tollere, cum atheus eſſet; ſed contra uſum et traditionem ſuæ gentis non eſt auſus id moliri.

Nihil impii et libertini malint, quam deprimi aut negligi aut etiam labefactari vim Eccleſiaſticæ traditionis, judiciique Eccleſiæ ea traditione nixi. Atteſtatur ipſi ſcripturæ ſacræ ea traditio non ſcripta, et

judicio quidem infallibili: nulli ſcripto veterum ſic atteſtatur.

Lex Moſaïca per annos amplius mille et quingentos ſtetit cum ſolis libris ſacris, et diu pauciſſimis; nempe cum ſolo Pentateucho, cum traditione, et Pontificis reſponſis in dubiis, Deut. xvii. 8, 9. Nulli tunc fuere præterea libri de religione et rebus ſacris. Quidni ſtaret ſimiliter religio Chriſtiana, cum libris ſacris, traditione, et ſummi Pontificis reſponſis; cum ſit Eccleſia ex ea parte ſimilis Synagogæ?

Traditio ſcripta, traditio Socinianorum eſt, qui traditionem oralem, ſive quæ auctoritatem habet omnem ab atteſtante Eccleſia, plane rejiciunt: et tamen ſcriptam traditionem admittunt, uſque ad Concilium Nicænum; quoniam eis aliqua hujuſmodi neceſſaria eſt, ut certo ſibi conſtare probent, Matthæi Evangelium, exempli gratia, Matthæi eſſe. *Eſt quiddam medium*, inquit Socinus, epiſt. iv. ad Chriſtoph. Oſtorod. *inter ſcripturas et traditionem. Immo, non quiddam modo,*

*modo, ſed multiplex quiddam:* SCRIPTÆ NIMIRUM HISTORIÆ, *aliaque teſtimonia, et rationes; ex quibus factum eſt et ſit ut cordati homines Matthæi Evangelium pro vera de Jeſu Chriſto hiſtoria habeant, Thomæ non habeant,* NULLA HIC *intercedente* AUCTORITATE ECCLESIÆ, ET SPIRITUS, *quo ipſa perpetuo gubernetur.*

SI nulla eſſet ſcripta traditio, eſſet illa tamen vera fides, qualis fuiſſe de ὁμοȣσίῳ creditur in CCCXVIII Patribus Nicænis, qui illud ſtabiliiſſe ſuo decreto exiſtimantur, cum vel nulli vel pauci libri nomen illud aut fidem haberent.

SI ſtare debet Religio teſtimonio ſcriptorum librorum, actum eſt de ſumma Religionis. Nam præcipuum Religionis caput, ex quo cetera omnia connexa pendent, illud eſt, Quis Deus ſit et cujus naturæ, quem Chriſtiani colunt. Alium enim profecto, quam quem Chriſtiani colunt, Deum libri illi omnes inducunt, qui a Patribus

ſcripti dicuntur; quippe nullum, quam quem athei velint.

Traditio viva longe certior teſtis eſt fidei et veri atque antiqui uſus in ſacramentis, quam libri vel manu ſcripti, vel editi. In Rituali Romano ante Paulum V. et annum 1614. baptiſmus ponitur ſub ſola merſione trina. An id tamen vel in Gallia vel Roma etiam eſt obſervatum? Neglectum prorſus eſt, traditione et uſu antiquo prævalente nequitiæ agminis impii, a quo iſtud ibi intruſum fuerat. Quidam Epiſcopi, ſed, Deo favente, perpauci, extremam unctionem volunt præmitti Viatico: et ſic quidam olim, etiam Pariſiis, poſuere: quoniam libri quidam veteres et quædam hiſtoriæ, ſed fictæ, ſic agendum eſſe ſuadebant. Quis tamen morem geſſit? Neglectus ille uſus, ſpretuſque merito a fidelibus eſt. Vivit traditio accepta ab Apoſtolis. Nihil igitur ſcriptum, aut verum eſt aut utile, niſi cum perpetua Eccleſiæ Traditione conſentiat.

Ingentis miraculi inſtar eſt profecto, quod contra portas inferi, contra conatus impiæ cohortis, vis Traditionis non ſcriptæ ſe mirabiliter hactenus exſerüit. Nam cum in ipſum Miſſale Romanum et Breviarium et Rituale ſuum virus factio illa effuderit; ita ut vix ullus ſit liber alius, in quo ſubtilius, quam in iſtis, dogmata fidei Catholicæ convellantur; ſtat nihilominus in animis fidelium atque Doctorum ſana et integra fides, ab his diſſentiens, quæ Miſſali et Breviario et Rituali continentur, exceptis ſacramentorum formis: ſi quidem in reliquis ad verba præciſe ut ſonant attendas; non ad Eccleſiæ et Catholicorum ſenſum ea recitantium. Nuper editum Rituale Pariſienſe orationem exhibet in Exſequiis Defunctorum, qualiter fiunt in Eccleſia Metropolitana: quæ docet aperte animas gloriam percipere tantum ſupremo die judicii. Hæccine propterea dicenda eſt Eccleſiæ Pariſienſis fides?

Qui

Qui in Gallia et Lotharingia non recipiunt Concilium Tridentinum, non idcirco, quantum ad dogmata fidei attinet, minus ſunt Catholici. Hæc enim ipſa amplectuntur et tenent, non quia ſunt a Concilio Tridentino definita; ſed quia ex antiqua et Apoſtolica traditione, et Romana fide atque inſtitutione, hæc acceperunt.

A traditione per manus accepta, abſque ſcripto, abhorrent omnes hæretici: nam ſi unam conceſſerint eſſe ſervandam, ex his quas Eccleſia recipiendas docet, cogerentur omnes, quas eadem approbat, ſuſcipere et retinere. Quæſivit ex me Calvinianus quidam, ubinam eſſet Traditio dogmatum, quæ Catholici tenent. Reſpondi eſſe in ore omnium Catholicorum, ac proinde certam et immutabilem: non in libris ſcriptorum; nam hi poſſunt ſcribere quod lubet: ſed corpus Eccleſiæ integrum non poſſunt fallere. Sic traditio de Calvini ſenſu in ore et animis totius Calviniſticæ plebis

plebis perſeverat; ac propterea certa ipſa quoque eſt, nec mutabitur, vel ſi libri pereant univerſi, in quibus de ſenſu Calvini aliquid ſcribitur.

QUAM parvi aut nihili fieri traditionem ſcriptam Deus velit, his ipſe noviſſimis ſæculis oſtendit. Nam cum non niſi falſa ſint monumenta, quibus vulgo Doctores Catholici nituntur, nec tantum falſa, ſed et adverſa fidei; his nemo tamen eorum nititur, niſi quatenus contortis et coactis interpretationibus efficit, qua vi qua arte, ut cum traditione non ſcripta conſentiat; hoc eſt, cum judicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, et conſenſu Orbis Catholici.

TRADITIO certe alterutra neceſſaria eſt: alioquin quomodo ſe pars aliqua potiorem eſſe oſtendet, in interpretandis ſacris litteris? Eam ob rem Sociniani priorum trium ſæculorum Patres ſibi vindicant. Quod ſi fruſtra faciunt, quoniam ſuppoſita eſſe ſcripta illa demonſtramus; ſupereſt una traditio non

non ſcripta, ſed vivæ vocis; Epiſcoporum videlicet, qui tunc ævum degebant, cum cœtus impius hæc ſcripta cuderet, et eorum qui nunc vivunt, idemque atque illi ſentiunt.

Optima traditio eſt, non ſcripta: nam ſcripta quæ terimus eſſe ſuppoſititia, vel (ſi ita placet) fuiſſe corrupta ac depravata, non eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων. At viva traditio ſemper eſt incorrupta eademque conſtanter. Fieri enim non poteſt, ut non conſtet apud omnes in Eccleſia hoc anno, quæ fides eſſet Eccleſiæ anno præterito, aut ante decennium; et ſic patribus noſtris conſtabat de fide ſuæ et ſuperioris ætatis.

Soli non ſcriptæ traditioni favet aperte divinum Numen, et ea una fidem Eccleſiæ illibatam tuetur. Quantumvis et Pſeudo-Auguſtinus et Pſeudo-Fulgentius, aliique magno artificio ſint libri conſcripti, et ab omnibus cum honore ac reverentia ſuſcepti, qui gratiæ efficaciam ponunt eſſe irreſiſti-

 bilem;

bilem; tamen Eccleſia ſtatuit et tradit quod accepit a Domino. Auguſtinum et alios explicent Theologi, ut voluerint: ipſa interim interrogata reſpondet ex ſua traditione invariabili; *Interiori gratiæ* qui dixerit *in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti*, anathema ſit.

Si hæc monumenta quæ falſa et ſuppoſititia eſſe Deo donante demonſtrabimus, partus ſunt ſæculi decimi quarti; manifeſtum eſt ſæculis tredecim ſtetiſſe religionem abſque traditione ſcripta incolumem et illibatam, qualem nunc Eccleſia Romana et cum ipſa Catholicus orbis tenet ac profitetur. Chriſtiani per annos mille et trecentos aut nullos ſcripſere libros, aut libellos dumtaxat pios, qui uſu tererentur et ſic facile perirent: quemadmodum Judæi per annos mille et quingentos, ſolis fuere ſacris libris et traditione contenti.

Traditionem vivam, non eam quæ ſcripta eſt in monumentis quæ Patrum creduntur,

duntur, aliiſve quibuſlibet, regulam eſſe fidei, argumento evidenti eſt, ut jam ſubindicavimus, quod ea ſcripta Catholici ſemper intelligunt ſecundum illam Traditionem: ac ſi forte ea huic contraria videantur, ea ſtatim Catholici vel apocrypha, vel corrupta, vel benigna interpretatione mollienda exclament. Sacra ipſa ſcriptura Traditionis neceſſitatem ac poteſtatem docet: Traditio ipſius ſacræ ſcripturæ veritatem oſtendit. Qui Pſeudo-patres Catholice ſenſiſſe oſtendere volunt Doctores Catholici, quid aliud ſpectant, niſi ut Traditionem non ſcriptam, quam a majoribus accepere, ſtrenue defendant? Ergo hæc potior quam ſcripta eſt, et prior, et magis infixa animis, et venerabilior.

Si ſola traditione ſcripta continetur Religio Chriſtiana; nemo ſpem ſuam ponat in Chriſti meritis, in meritis et ſatisfactionibus paſſionis Chriſti: ſed in Chriſto tantum, hoc eſt, in exemplo ipſius reſurrectionis, cui ſimilem Deus ſive Natura nos jubet ſperare.

ſperare. Nam in Chriſti meritis ſpem noſtram eſſe collocandam, nemo unus e Patribus dixit: Non in epiſtolis, non in tractatibus, non in ſermonibus ad populum, non in diſputationibus, nuſquam denique id dictum occurrit, ne ſemel quidem, ab omnibus. Tantæ rei diſſimulatio, quid aliud niſi manifeſta rei inficiatio eſt? Sane ſi Deus non eſt niſi Natura, nullus eſſe poteſt meritis locus. At aliud certe ratio, et religio, et traditio non ſcripta docet.

Scriptor incertus, ſed non e noſtra Societate certe, immo parum eidem æquus, in libro quem inſcripſit, *Lettres écrites à un ami ſur les diſputes du Janſeniſme*, pag. 7. ſic optime ratiocinatur: *En rigueur l'Egliſe n'a aucun beſoin du témoignage de l'antiquité pour établir la verité, et par conſequent la perpetuité de ſa creance. Son propre témoignage lui ſuffit: Pour cela le principe de S. Irenée n'ayant pas moins lieu pour la Tradition écrite, que pour les livres ſacrez, qu'il n'eſtimoit pas lui eſtre neceſſaires.* 'Etiamſi,' *diſoit-il,*

*il,* ‘ Apoſtoli nobis non reliquiſſent ſcripturas, ‘ nonne debemus ordinem ſequi traditionis?’ *Ainſi,* QUAND TOUS LES AUTEURS ECCLESIASTIQUES ET TOUS LES CONCILES SEROIENT PERDUS, OU QU’ILS N’AUROIENT JAMAIS EXISTE, *il faudroit toujours demeurer également attaché à la* TRADITION ORALE ET VIVANTE DE L’EGLISE, *et croire qu’elle n’y change jamais rien, quelque éloignée qu’elle ſoit de ſon origine. Elle aura dans tous les tems droit de dire à ſes enfans ce que Saint Chryſoſtome diſoit à ſon peuple: Les choſes que je vous enſeigne ſont de tradition: n’en demandez pas d’autre preuve. Ce n’eſt point par écrit que l’Egliſe a reçeu ſa foi, ce n’eſt donc point non plus par écrit qu’elle eſt obligée de la tranſmettre.*

Idem, pag. 6. *Il faudroit auparavant prouver que l’Egliſe de chaque ſiecle reſidoit eſſentiellement dans les Auteurs qui nous reſtent; ou bien montrer qu’ils etoient inſpirez. Car ſi on convient qu’ils n’étoient que des particuliers, quelque ſaints et éclaires qu’on les veuille*

*veuille ſuppoſer, ils auront pu avoir des ſentimens erronez ſur des points fondamentaux de la Religion.*

Et pag. 67. *Aſſurément ce n'eſt pas rendre un bon ſervice à l'Egliſe, de fonder la verité de ſes déciſions, ſur l'intelligence d'Auteurs qu'on ne peut point dire en rigeur repreſenter l'Egliſe de leur tems. Eſt-ce, je vous prie, que quatre ou cinq Theologiens par ſiecle, peuvent eſtre regardez comme autant de Conciles Oecumeniques?*

Dicet aliquis: Forte introducta paulatim hæc fides eſt, quæ nunc viget, quemadmodum introductæ ſunt in Officium diurnum, in Miſſale, in Rituale, preces plurimæ, a vera fide alienæ. At magna certe diſparitas eſt. Nam quando fides mutatur et ſenſa hominum de rebus divinis impugnantur, non poteſt omnino hoc fieri, quin boni reclament, et in antiqua fide perſeverent: ut patet ex ſucceſſu Calvinianæ

novitatis in Gallia. At preces Eccleſiaſticæ poſſunt facile ſuſcipi, quando ſua ſpecie oblectant, et nihil habere prima ſpecie creduntur, quod fidei adverſetur.

A TRADITIONE prius accepta videtur Latine oratio Dominica, quam fuerit ſcriptum Evangelium. Nam ubi dicimus *quotidianum*, Matthæus poſuit *ſuperſubſtantialem*.

X.

SI ſcripta omnia vetera reſpuis, inquiet aliquis, unam fidei regulam ſtatuis eſſe verbum Dei. Ita ſane: ſed, ut aït Concilium Tridentinum, geminum eſt verbum Dei; aliud ſcriptum in libris ſacris, aliud traditum ore Eccleſiæ et per manus. Sed ipſum verbum Dei ſcriptum aïo intelligendum juxta ſenſum, quem ipſi Paſtores ab Eccleſia Romana didicerunt. Nam prius illos eſſe oves oportuit, quam fierent Paſtores; prius diſcipulos et filios Eccleſiæ, quam Magiſtros et Patres in Eccleſia.

Libris ſcriptis omnibus non detrahimus auctoritatem: proferri in teſtimonium traditionis libros non vetamus: ſed quos? Qui fuerint ſtatim probati omnibus bonis; qui publicam lucem ſtatim aſpexerint; quos Patres, hoc eſt, Epiſcopi Catholici, expenderint et commendarint: non qui furtim editi, qui abditi in forulis et ſcriniis biblio-

thecarum, qui non niſi multo poſtea exinde eruti, qui prolati ab his quos vel ſua decepit inſcitia, vel impietas impulit ut Religionem Chriſtianam his armis peſſumdarent; qui denique vix unquam integre lecti a quoquam et perpenſi, ut decuit: hos eſſe idoneos traditionis teſtes negamus, aut in exiſtimatione ulla habendos.

DICET aliquis facere nos omnia nutare quæ credimus. Dicet immerito et imperite. Hiſtorica facta quidem reſpuimus: ſed fidem Catholicam, receptamque univerſalem diſciplinam, verbo Dei ſcripto et tradito ſic ſtare oſtendimus, ut perpetua utraque fuerit, nec aliquando etiam publice impugnata, ante ſæculum decimum quartum; ac ne tunc quidem, niſi ab atheis.

DICET alius, omnino in me convenire, id quod de quibuſdam hæreticis refert Vincentius Lirinenſis, cap. XXI. *Audias enim quoſdam ipſorum dicere, Venite, o inſipientes et miſeri, et diſcite fidem veram; quam præter*

*nos*

*nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero revelata et oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecretim: delectabit enim vos. Et item cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat. Paucis namque conceſſum eſt tanti myſterii capere ſecretum.* At abſit a nobis, ut fidem doceamus, quæ multis antea ſæculis latuerit. Illam ipſam prædicamus et exponimus, quam Catholica ubique tenuit ac tenet Eccleſia. A quibus autem illa impugnata fuerit, coacti fuimus latenter primum indicare piis et eruditis viris: quoniam ſunt in hac re prudenter tractanda imperitorum ingenia, quæ multa ſunt, nec exaſperanda, ne nos numero ſuo obruant.

At ſi ſcriptos a Patribus libros omnes ſuppoſititios eſſe ſtatuimus, inquies; periclitantur ipſæ ſacræ litteræ. Minime certe: nam cum Catholicus ſis, qui hoc opponis, ſanguinem profunderes, ut Evangelium Matthæi, exempli gratia, vel Pauli epiſtolas,

 confitereris

confitereris auctorem Matthæum vel Paulum habere. Pro aſſerendo autem libro aliquo, qui præfert nomen Auguſtini, Epiſcopo Hipponenſi, qui Auguſtinus dicitur, ne plagas quidem tres verberum perferres in publico. Sic a Catholicis ſemper propugnabuntur ſacræ litteræ; quantumvis veniant in contemptum libri ceteri.

Ergo, inquies, comburendi ſunt libri omnes. Immo vero, ſunt ii diligenter adſervandi: maxima enim ex iis utilitas redit: ſiquidem docent, uſque ad ſua tempora viguiſſe fidem quam in ſuis omnibus capitibus impugnant, quæque noſtra ipſa fides ſanctiſſima eſt. Deinde quid tum ſi comburerentur? Si quod docemus et credimus, eſſe eos nimirum omnes ſuppoſititios, Deus revelaret; ſane ita eſſe crederes; nec tamen exiſtimares quidquam inde Religioni decedere, vel traditioni. An vero plus oberit Religioni, ſi ſtudio et labore fraus ei inimica detegatur, quam ſi revelatione patefiat? Quacumque via verum noſcatur, quid intereſt?

intereſt? An verum vero poteſt nocere? At retinendos aïo ſervandoſque cum maxima cura Auguſtini ac ceterorum omnium libros, quamvis ſuppoſititios. Sunt enim illi perquam utiles ad perdiſcendam Religionem: dummodo diligenter ſcruteris quid ſcriptor ſentiat, et contra ſentias ipſe quam quod docet.

Ergo, inquies, Nicænum Concilium, Epheſinum, et ſimilia abnegas. Abſit, inquam ego, ut fidem, quam Catholici credunt his Conciliis ſtabilitam, reſcindi velim: hanc teneri uſque ad ſanguinem a ſingulis mortalibus pervelim: ſed fidem eam his Actis contineri, ſi probe ea intelligantur, negamus: ficta ea eſſe pertendimus ad veram et Catholicam fidem labefactandam.

Ut ut eſt, inquiet alter, Tu faves Puritanis, de quibus Spondanus poſt alios diſſerit, ad annum 1565. num. XXII. *qui omnes antiquos Patres ad unum rejiciebant; non ferentes eos allegari, etiam ad confirmandas*

*ſuas opiniones.* Reſpondeo: Adde quod ibidem ſequitur: *ſiquidem Eccleſiam ſtatim ab ipſis Apoſtolorum temporibus corruptam fuiſſe dicebant; ne videlicet cogerentur admittere aliquas traditiones:* tantum inter illos et nos intelliges intereſſe, quantum inter hæreticos peſſimos, et bonos Dei dono Catholicos.

Dices: Si ſunt ſuppoſititia ſcripta Patrum, ſtandum erit ſola ſcriptura, quod Calviniani volunt. Reſpondeo 1. negando ſequelam. Sed erit exiſtimanda illa ſola vera ſocietas ſancta, ſeu vera Eccleſia ſub cælo, quæ cum libris ſacris verum Deum colat. Atqui ſola Catholica ſive Romana Eccleſia verum Deum colit: ergo ſola ea vera cenſenda Eccleſia eſt. Minor certiſſima eſt. Nam Lutherana quoque et Calviniana ſecta impiæ factionis principio nititur; non eſſe Deum ſcilicet præter Naturam et Lumen naturale, quam Rectam Rationem et Veritatem ſummam æternarum omnium veritatum vocant. Socinianorum Deus æther eſt.

eſt. Ergo ſola ſocietas Romanæ fidei vera Eccleſia eſt. Conſtant hæc autem omnia ex ipſorum libris et placitis, quæ cum atheïſmo optime conveniunt; hoc eſt, quæ ſtare ac defendi poſſunt, quamvis nullus verus agnoſcatur Deus. Quod ſi quis ex ipſis verum nihilominus velit Deum agnoſcere, et ſola ſcriptura contentus eſſe, novam ille cudet hypotheſim, novam Eccleſiam, atque eo nomine falſam. Præterquam quod de ſuo ſyſtemate certus eſſe non poteſt. Unde enim certo ſcire poteſt, niſi ex revelatione didicerit, nihil aliud eſſe vel credendum vel faciendum, præter id quod ſacris libris continetur? At ejuſmodi revelatio certe nulla poteſt eſſe: cum facta Eccleſiæ revelatio ei adverſetur.

ITAQUE reſpondeo 2. etiamſi ſola ſcriptura ſacra ſtandum eſſet, certum eſſe quemque oportere de genuino ſenſu ſcripturæ: atqui certus eſſe Calvinianus non poteſt, ſenſum quem ſcripturæ adſcribit eſſe genuinum, hoc eſt, illum eſſe, quem vetus Eccleſia tenuit. Nam ſi monumenta cetera

omnia

omnia ſunt falſa, præter ſcripturam; quod nos contendimus, et demonſtraſſe jam magna ex parte ſcimus; quibus deinde argumentis docebit, ſenſum quem affingit ſcripturæ, fuiſſe ſenſum veteris Eccleſiæ? Quod ſi deinde ſenſus ille, quem ſcripturæ affingit, eſt idem ipſe in illis monumentis, quæ Athei condiderunt eo conſilio, ut Romanam fidem labefactarent, ſi poſſent; ac ſi illud quidem certe conſtat: certum erit ſimiliter, ſenſum, quem Calvinianus affingit ſcripturæ, eſſe profectum ab atheïſmo, nec niſi atheorum eſſe: ſolumque genuinum eſſe ſcripturæ ſenſum illum, quem oppugnant athei, hoc eſt, illum quem defendit Eccleſia.

Dices: Ergo illis ſæculis, in quibus iſtos falſarios collocas, erant omnes monachi et viri eccleſiaſtici athei, impii. Reſpondeo, immo vero: impii ſoli fuere artifices librorum quos repudiamus: et quam illi numero pauci, præ reliqua fidelium multitudine? Florebat interim Catholica fides in ſancta Sede

Sede Apoſtolica, in Epiſcopis, Monachis, Clericis, qui nihil ſcripſere; in multis etiam, quorum nominibus opera ſunt ſuppoſita; in plebe denique univerſa Chriſtiana. Erant illi certe Catholici Epiſcopi et Doctores, a quibus ad nos Catholica traditio dimanavit. Alioquin quandonam aut a quibus illi diverſam accepere fidem ab ea quæ fictis illis ſæculo decimoquarto libris continetur? cujus hortatu vel impulſu?

Utinam, inquiet aliquis, adfuiſſes Congregationi de Auxiliis: victoriam aſſerüiſſes Molinæ, cum adverſario oſtenderes unius præſertim athei, hoc eſt, Pſeudo-Auguſtini, auctoritate niti! Quam utilem impendiſſet operam, ſi quis ſimilis tui Concilio Tridentino adfuiſſet! Reſpondeo, non ſic oportuiſſe fieri: volente Deo, ut cauſam ſuam acriter impugnatam ab hæreticis, ſat tenuiter a Catholicis forte defenſam, cum oppoſita ſibi ſcripta in ſuas partes pertrahere conarentur; victricem nihilominus unus ipſe diſcedere faceret: quod ſane præſtitit; ut

non

non haberet homo quo gloriaretur de victoria Deo vel Ecclefiæ adſerta. Ne melioribus quidem, quam nos qui puſilli pugiles ſumus, inſtrumentis Deus eget, qui infirma mundi ſæpe numero eligit, ut confundat fortia.

## XI.

COEPTA fraus primum videtur ab officio Eccleſiaſtico, poſt corrupta Biblia et Græce conficta. Cum neglectus eſſet multis locis cultus divinus, per ſpeciem reformationis induxit cohors impia formam officii Eccleſiaſtici, ipſiuſque ſacræ Liturgiæ, quæ nunc obtinet, exceptis lectionibus e ſcriptis Patrum, quæ nondum erant conficta, cum Breviarium Mozarabicum appellatum concinnavere: unde lectionibus iſtis caret: habet repetitas ex ſcriptura tantum. Itaque per cantum, per hymnos, per officium Eccleſiaſticum, inſinuavit ſe virus omne primum in Eccleſiam. Per bona quidem nonnulla

nonnulla tunc ab Eccleſia ſunt admiſſa, ut cantus Gregorianus, a Gregorio IX. ſic dictus, opinor, et ritus ſive cærimoniæ, quæ ad majeſtatem religionis conferunt. At in precibus inſerta ſunt ſimul unde ſuas hæreſes et conſectaria ex ſua impietate placita ſtabilirent. In libros etiam Rituales graſſata iſtorum improbitas eſt, ubi trinam immerſionem ſcripſere, ut diximus, quæ ibi uſque ad tempora Pauli V. permanſit.

Dum eſſet Avenione Pontifex, auctores illi fuere quibuſdam Urbis Eccleſiis ut Pſalterium reciperent a ſe corruptum, ſub Hieronymi nomine: idque ibi etiamnum perſeverat in Eccleſia Vaticana. Sic illi ſperabant ſe Vulgatæ Editionis auctoritatem eſſe elevaturos. At alia longe fides eſt Romanæ Eccleſiæ, quam peculiari ſemper cura Deus tuetur: aliud ritus nonnulli, quos interdum ſinit induci, etſi haud ſatis per ſe probabiles, donec ipſo auctore emendentur aut tollantur omnino. Sinebat ante ſæculum jam ſeneſcens decimum tertium Sedes

Apoſtolica unamquamque Eccleſiam, ut vellet, laudes Deo canere, ipſamque Miſſam celebrare, cum ſciret cunctas in fide conſpirare: nec proinde Congregatione aliqua Rituum, ut poſtea, tunc opus fuit, aut multiplici Breviarii reformatione.

Nihil obeſt fidei integritati, quod in libellum precum diurnarum, vel quod in ipſas Liturgiæ noſtræ preces, hoſtes illi veri Numinis falſa multa inſeruerunt, quæ quotidie nos ipſi integre recitamus. Neque enim quod canimus, ſed quod credimus, nos fideles et Chriſtianos facit: eaque recitare ſalva fide, quæ interius ſemper eadem perſeverat, poſſunt ac debent nihilominus ii, qui hac recitandi lege tenentur, donec ea ſancta Sedes Apoſtolica reformarit, aut alia quælibet Eccleſia, cui id juris ſit.

Quod in Breviario Romano quidquam aliud legitur quam ex ſacris libris, mera ea Eccleſiæ Romanæ permiſſio, ut ipſa quidem credi vult ficta ſynodus Cloveſhovienſis, anno

anno 747. vel potius mera tolerantia eſt: a qua proinde diſcedere poterit, cum volet. Utinam vero id quam primum velit! Prodeſſe cauſæ, hoc eſt, impietati ſuæ ipſummet Miſſale Romanum Janſeniani norunt, qui illud inter alia vetuſtatis opera ſuæ impietati ſuffragantia, verterunt in Gallicum ſermonem.

Quod ſi potuerunt in Eccleſia incaute preces quædam admitti, quæ ſenſus omnino contrarios habeant iis placitis quæ Eccleſia tenet ac defendit; quantumvis ſint illæ preces per ſe breves, et ſæpiſſime recitentur, et quotidie ſint in ore omnium, ac proinde facile quales ſint poſſit agnoſci: Quis deinde miretur ingentia volumina, quæ plerique, præſertim Epiſcopi, Canonici, Parochi, Religioſi, aliique, omnino non legunt; Doctoreſque ipſi ex parte aliqua dumtaxat leviter perſtringunt, ea non ab Eccleſia tamen, ſed in Eccleſia potius, tamquam Patrum quorum nomina præferunt, genuinos partus fuiſſe ſuſcepta: cum pauci ea, ut diximus,

diximus, legant, pauciores intelligant; nec ea ad examen umquam Eccleſia vocarit?

Magnum intercedit diſcrimen inter id quod eſt Recipi aliquid ab Eccleſia, et Recitari aliquid ab Eccleſia. Recitatur in Eccleſia id quod privati Doctores quidam huic negotio præpoſiti ab epiſcopis, ſiquidem ii Catholici ſint, putant poſſe pie intelligi, nec habere quidquam veneni occulti. Qua in re poſſunt ipſi falli, nec fraudem ab aliis oblatam animadvertere. At non recipitur ab Eccleſia, tamquam a columna veritatis, niſi quod ad fidem pertinet, tam ſcriptum, quam traditum. Vis noſſe perſpicue diſcrimen utriuſque? Si non modo ſummus Pontifex, ſed quilibet epiſcopus, cui jus eſt in ſua diœceſi condere pro arbitrio formam Breviarii et Miſſalis; ſi quis, inquam, ejus loci et ordinis, expungat deleatque e Breviario et Miſſali vel Rituali ſuo quidquid ibi aut verſionis Græcæ vel Italicæ eſt, vel e ſcriptis Patrum (ut vocant) excerptum; id ei omnino licebit ſine ulla cujuſquam

 offen-

offenſione. At ſi ipſe ſummus Pontifex, cum toto etiam Collegio Cardinalium, vel unum verſiculum vellet eradere e ſacris Bibliis Vulgatæ editionis, quales et quanti ederentur clamores adverſus hanc novitatem? quis non reclamaret? Alia ſcilicet librorum ſacrorum auctoritas in Eccleſia, et reverentia ab ea ipſa, quam quorumlibet aliorum monumentorum eſt.

Persuasere impii precum illarum artifices, Romanis ipſis, abſente (ut opinamur) Pontifice; ſed prius Gallis, tunc cum liceret ſingulis epiſcopis Breviarii et Miſſalis formam in ſua cuique diœceſi præſtituere; ut illum ritum, qui præ ſe ferret pietatem ac vetuſtatem in ſuis ſacris adſciſcerent. Finxere etiam Græcam et veterem Italicam ſacrorum librorum tranſlationem, quam in libros Eccleſiaſticos inſererent; quoniam in ipſa Biblia Vulgata ut corruptelas eas inducerent, fieri omnino non poterat. Enimvero e manibus omnium toto orbe Chriſtianorum qua poſſent ea arte eripi, ut adul-

terarentur? Ne iſtud inſani quidem tentarent. Diſplicuit iſtis, exempli gratia, legi in Pſalmo, *Quadraginta annis offenſus fui generationi huic:* Natura enim aut naturale lumen, quod ipſi pro Deo habent, nemini iraſcitur. In Bibliis ſacris cum id mutare non poſſent, in Breviario ſic correxerunt: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Et quis adhuc reclamat?

Et adhuc quæritur, quomodo fieri potuerit, ut hanc Breviarii et Miſſalis ac Ritualis formam ubique reciperent Epiſcopi, neque ullus fraudem perſenſerit. Reſpondeo primo, nihilo minus, immo multo magis mirum debere videri, nunc cum eſt orbis eruditus, nemini vel ſubolere virus quod in his libris contineri nobis manifeſtum eſt, vel zeli ſatis eſſe ad conquerendum, aut (ſi quidem epiſcopus ſit) ad emendandum. Reſpondeo 2. feciſſe olim impoſtores, quod feciſſe pro inducendo feſto Stigmatum S. Franciſci aliquos ex Franciſcanis, manifeſtum eſſe oſtendimus

ex ſola collatione lectionum Breviarii, quæ fuere in eo officio ſub Paulo V. et earum quæ nunc ſunt. Mentiti ſunt, inquam, priſci falſorum monumentorum artifices, nihil ſe novi inducere; vetuſtatem ſolummodo venerandam, reſtituendam eſſe; neglectum illius haud ſatis luctuoſe defleri poſſe. Protulere quos finxerant vetuſtos libros Miſſales et diurnarum precum: Canones Conciliorum, quibus præcipitur ut unus ordo pſallendi et orandi in Miſſis et matutinis veſpertiniſque officiis ſit. Fecit paulatim reverentia vetuſtatis, ſed falſæ, ut quæ fidei Catholicæ videmus eſſe contraria in Liturgiis et Precibus, ab univerſo orbe religioſe ſuſciperentur; manente nihilominus, ut Epiſcopi probe norant, in animis Catholicorum vera fide. Eſt in Congregationibus Cardinalium, eſt in Epiſcopis poteſtas, ad immutanda ea quæ prava ſunt, cum animadverterint, ea prave ut ſcripta ſunt intelligi.

Dices: Concilium Tridentinum, ſeſſ. xxii. cap. 4. et can. 6. affirmat nullos eſſe errores in Canone Miſſæ. Reſpondeo loqui ſacram ſynodum contra hæreticos, qui aïebant ibi errores aliquos contineri circa fidem vel diſciplinam univerſalem. Ejuſmodi eſt doctrina de transſubſtantiatione panis in Corpus Chriſti per verba Chriſti, de ejuſdem ſub ſpeciebus latentis adoratione, de ſacrificii oblatione et fructu pro non communicantibus, et pro defunctis: de Sanctorum interceſſione, qua ibi petimus adjuvari: de verbis conſecrationis ſubmiſſe pronunciandis, aliiſque ſimilibus capitibus. In hoc genere certe Canon Miſſæ ita eſt ab omni errore purus, uti dicitur cap. iv. *ut nihil in eo contineatur, quod non maxime ſanctitatem ac pietatem quamdam redoleat,* &c. At ſi de verbis ipſis quæſtio ſit, ſi quis dixerit videri nonnulla a minime piis hominibus fraudulenter ſuggeſta; ſed ab Eccleſia tamen incogitante, ita permittente Deo ſuſcepta fuiſſe, ſalva interim fide; non arbitramur

tramur cenſeri hunc poſſe, errores in Canone Miſſæ tales ſuſpicari, cujuſmodi negat eſſe ullos ſynodus Tridentina: ſiquidem errores non verbis, ſed pravis ſententiis continentur.

Similiter ſi de quibuſdam nominibus ſanctorum agitur, cum ad errores, de quibus ſancta ſynodus agit, ſolum pertineat, ſi quis neget ſanctos eſſe invocandos, ut fit in Canone Miſſæ; Catholicus quivis ſynodo adverſari minime cenſendus eſt, qui ſanctos ibi quidem crediderit invocandos; et ipſe eoſdem religioſe invocet, precibus illis ipſis adhibitis, quæ ibi leguntur; quædam tamen nomina ſanctorum eo putet irrepſiſſe (ut in Martyrologium certe quædam inſerta conſtat) quæ quidem ficta ſint; ſi præſertim iis tribuantur, quibus ea fictæ hiſtoriæ tribuunt, ut Lini et Cleti nomina.

## XII.

NOLUIT adhuc certe Sedes Apoſtolica, necdum vult, nec volet aliquando, ſcripta iſta, quæ Patrum, dicuntur, pro ſcriptis ſacris haberi; hoc eſt, eo loco et ordine, quo ſunt ſacri codices: quamvis id fuerit propoſitum iis, qui in Breviario ſimul cum ſcriptura ſacra legi hæc monumenta primi curarunt; et quidem in precibus matutinis e novem lectionibus lectiones ſex poſuere ex ſcriptis Patrum (ut vocant) petitas.

Nisi hæc monumenta omnia infamentur, perpetua erunt inEccleſia hæreſium fomenta. Nam omnia ſua in illis deliria impia Calviniani, Lutheranique, et Janſeniani reperiunt. Et tanta vis eſt argumentorum, quæ iſti Eccleſiæ et Religionis hoſtes exinde arripiunt; ut primum quidem nulla poſſint Catholici ſimiliter inde pro veritate et cauſa Dei promere bona fide: Deinde ut reſponderi

deri aliter non poſſit his quæ iſti opponunt, quam ſi dicatur aliam longe eſſe ac fuiſſe traditionem Eccleſiæ univerſæ: id quod probari nullo fere ſcripto teſtimonio poteſt ante annos fere ducentos, aut ante exortam ſaltem typographiam, ſi ſincera creduntur monumenta ante hoc tempus exarata. At ſi eadem ſuppoſititia eſſe conſtet, ut reipſa ſunt; jam habebit noſtra Traditio longæ ſenectutis auctoritatem: erit enim annorum mille ſeptingentorum; et de Deo quidem, qualis ſit, uſque ab Adamo et Moſe.

Nos ſane non præterit, ſanctam ſynodum Tridentinam, ſeſſ. v. profiteri, præter *ſacrarum ſcripturarum* regulam, *ſequi ſe ſanctorum Patrum ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, et ipſius Eccleſiæ judicium et conſenſum.* Verum de Patribus et Conciliis ſic eſt locuta, quod hæc ab adverſariis æque et a Catholicis doctoribus admitti cerneret, ut authentica, hoc eſt, ut ab illis profecta ſcriptoribus, quorum præferrent nomina. Quamobrem hæc indiſcuſſa ex communi

opinione laudat; cum interim ſtatuiſſet, nihil ex illis ſcriptis in ſua transferre, niſi quod ſciret idcirco a Catholicis haberi velut probatiſſimum, quoniam ſecundum ſanum Eccleſiæ Catholicæ ſenſum ab illis acciperetur. Nemo enim profecto ignorat, non dico omnia priora Concilia et omnia Patrum (ut appellant) ſcripta; ſed ne unius quidem ſcriptoris antiqui vel unam lucubrationem ad criticum examen fuiſſe vocatam a ſancta ſynodo, vel ab aliquo e ſummis Pontificibus, ut ſtatueretur, an vere eſſet illius, cujus nomen præfert in titulo. Quamobrem in iſtiuſmodi rebus, quæ ſunt meri facti, de quibus ſynodus ex recepta ævo ſuo opinione loquitur, Eccleſiæ judicium acceſſiſſe non niſi imperite dicitur: ſed valere illud neceſſe eſt apud æquos judices, quod aït Melchior Canus, libro v. de locis Theologicis, qui eſt de auctoritate Conciliorum, cap. v. *Quæ in Conciliorum vel Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel —etiam obiter et in tranſcurſu præter inſtitutum præcipuum, de quo erat potiſſimum controverſia;*

*troverſia; ea non pertinent ad fidem; hoc eſt, non ſunt Catholicæ fidei judicia.*

Tillemont, tom. xi. pag. 391. *Il y a des homelies citées ſous le nom de S. Chryſoſtome par des Conciles aſſez anciens; parce que les Conciles ont accoutumé de ſe ſervir de ce qui ſe trouve reçeu de leur tems, ſans s'arreſter à examiner ſi les pieces ſont veritablement de ceux à qui on les attribuë.* Accepit ille hanc obſervationem ex Frontonis Ducæi Notis in Chryſoſtomum, tom. vi.

Nihilo magis Acta Conciliorum alia, e veteribus, quæ nunc habemus, Roma probavit, quam probavit Acta ſextæ ſynodi. Hæc autem ab Apoſtolica ſede numquam fuiſſe approbata conſtat ex eo, quod nomen Honorii Papæ e Breviario Romano expunxit die 28. Julii in Officio S. Leonis, quo illud intruſerat ex Pſeudo-Anaſtaſio cœtus impius, veluti notatum anathemate in ea ſynodo. Ergo cenſet in Actis ſynodi illius ſimiliter non debuiſſe inter hæreti-

corum

corum nomina nomen illud inſeri. Cenſet illa igitur Acta eſſe corrupta: nec proinde illa approbavit. Acta Conciliorum Roma credi debet ea probaſſe dumtaxat, quæ Pontificia bulla confirmavit, ut Canones et Capitula Concilii Tridentini,

Si definitiones Conciliorum nituntur teſtimoniis Patrum, non ſunt eæ a ſuſpicione vel periculo erroris immunes: nituntur enim teſtimonio cenſuræ obnoxio. Nam qua revelatione conſtat, quæ ſola certe infallibilis eſt, aut traditione, quæ par ſit ei qua tenet Eccleſia Petri vel Pauli epiſtolas Petri vel Pauli eſſe, librum hunc vel illum Auguſtini vel Ambroſii eſſe? Quis ignorat in quibuſdam Conciliis quædam, quæ ſunt hæreticorum ſcripta, reperiri Patribus attributa? Nullo tali teſtimonio niti voluit Eccleſia ſuas definitiones in Concilio Tridentino, aut in Conſtitutionibus Summorum Pontificum, quæ ſunt indubitatæ ſcilicet ac genuinæ.

In

In Concilio Tridentino longe potior vis eſt Canonum, quam Capitum, in quibus doctrina Canonum explicatur: quemadmodum longe major eſt auctoritas Evangelii, quam Commentariorum etiam eorum, quos edidiſſe ſancti Patres vulgo creduntur. In Canonibus dictat omnes ſententias Spiritus ſanctus. In Capitibus poſſunt irrepere quædam mera facta, quæ ipſa ſynodus non pro certis et indubitatis profert, ſiquidem ea non examinavit; ſed tantummodo tanquam vulgo recepta recitat, quæ nec quidquam vel obſunt fidei vel proſunt. Ejuſmodi eſt quod refert de Novatianis, de Concilio II. Nicæno, &c.

Dices: Sub Clemente VIII. receptus eſt Patriarcha Alexandrinus, ea conditione ut anathema Dioſcoro diceret: ergo Eccleſia Romana ſuſcipit acta Concilii Chalcedonenſis. Item anno 1441. concordia Jacobitarum in Ægypto cum S. R. Eccleſia ſub Eugenio IV. eadem habet et de ipſo et de

omnibus aliis hæreticis; et omnia vetuſta Concilia commemorat. Reſpondeo fictam hanc jure videri Jacobitarum concordiam cum S. R. E. ſub Eugenio IV. cum in nummo vetere argenteo quem habemus dicantur ſolummodo *uniti Græci Armeni in ſynodo Florentina cum S. Sede Apoſtolica, ſub Eugenio Papa* IV. Pictus in averſa nummi area eſt Deſpota Byzantinus et Patriarcha Armenus, flexis ambo genibus, ſummum Pontificem in ſublimi pictum ſuſpicientes. Reſpondeo 2. ſub Clemente VIII. Romanam Eccleſiam tunc præcipue fidem recipi Chalcedonenſis Concilii voluiſſe, qualem fuiſſe Concilii fidem ipſa cum occidente credit; Doctores ſuper illa quæſtione facti ſecuta, qui ſunt nunc ab annis fere CCCC. inducti in errorem ab auctoribus Actorum iſtorum ſuppoſititiorum: at ſuper doctrina fidei, ſuam dumtaxat traditionem ſecuta, et ſic interpretans ipſummet ſymbolum Chalcedonenſe.

Concilium Tridentinum, ſeſſ. XXV. de Imaginibus, cum aït; ID QUOD *Conciliorum,*

*præſertim*

*præſertim vero ſecundæ Nicænæ ſynodi decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum:* non definit, aut exſtitiſſe ſynodum Nicænam ſecundam, aut quis fuerit ſenſus illius, ſi ulla fuit: ſed quid illam ſenſiſſe Catholici crederent, et Eccleſia Romana ipſa ex Doctorum Catholicorum ſententia exiſtimaret, ſi revera ſynodus illa exſtitit. Neque enim expreſſe examinavit, an aliqua fuerit. Neque eſt eadem ratio de ſenſu Janſenii, exempli gratia: nam et librum conſtabat eſſe Janſenii, et de ſenſu auctoris inter Catholicos et Janſenianos conveniebat: itaque de illo ſenſu, non quis, ſed qualis ſit, ab Eccleſia expreſſe pronunciatum eſt. Damnatæ ſunt *opiniones* illius *quinque* tanquam hæreticæ. Deinde *id quod,* voces tantum ſignificat ex Nicæna II. ſynodo eſſe acceptas; ſenſum vero teneri eum volunt Tridentini Patres, quem ſuper ea re Traditio et Sedes Apoſtolica Traditionis magiſtra Catholicos omnes docet, et quem Calviniani ac reliqui Proteſtantes improbant.

IN

In Concilio Tridentino, ſeſſ. III. de ſymbolo fidei dicitur, *Præmittendam eſſe confeſſionem fidei, Patrum exempla in hoc ſecuta ſynodo, qui* SACRATIORIBUS CONCILIIS *hoc ſcutum contra omnes hæreſes apponere conſuevere.* At aïo ſenſum eſſe, ſe exemplum ſequi eorum, qui Patres vulgo creduntur, et Conciliorum, quorum Acta vulgo ſacratiora putantur. Nec ſenſum quem habent verba, ſed quem ſub illis verbis Eccleſia intelligit, aſſumere ſe Patres Tridentini cum Apoſtolica Sede credi certe volunt.

NUMQUAM juridice Eccleſia pronunciavit de genuino ſenſu ſive Actorum illorum, ſive librorum alicujus ex vulgo appellatis Patribus : liquet enim omnino neutra umquam fuiſſe ab Sede Apoſtolica ad examen vocata. Tantum dicit vel ſynodus vel Pontifex generatim ſenſa ſanctorum Patrum eſſe Catholica : quod eſt veriſſimum : alioqui nec Patres nec ſancti forent. Nullas propo-

propoſitiones ex libris Pſeudo-Auguſtini excerpſit Synodus Tridentina, quas diceret in ſenſu auctoris eſſe bonas ac veras; ſed verba tantum accepit nonnulla, quæ non ut Auguſtini, aut ſenſu illius qui ea primo ſcripſit, ſed interdum emendata, et ſuo intelligenda ſenſu propoſuit omnibus.

At Calviniani ipſi Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. agnoſcunt, et Canonem *Omnis utriuſque ſexus.* Sane: ſed ita faciunt, quoniam oportet eos adſignare tempus, quo inducta fuerit, ut volunt, Confeſſionis neceſſitas; aut fateri, id quod res eſt, nullum adſignari poſſe initium illius inſtituti, niſi a Chriſto Domino. Eam ob rem hunc illi Canonem elegerunt; quia nullum eis validius telum occurrit. At reipſa tamen Canon ille ab impio grege primum eſt conditus; nec jure divino neceſſariam eſſe, ut eſt, Confeſſionem adſtruit; nec ſacerdotis poteſtatem ad conferendam gratiam ex opere operato. Sacerdotem tantum ſpectat ut medicum. Quod ſi autem

fictus eſt, ut contendimus, canon ille, quamvis a Summis Pontificibus poſtea laudatus; ſi fruſtra proinde adſignatur ab hæreticis illud initium inductæ in Eccleſiam neceſſitatis confitendi peccata, jam nullum ab iis poterit adſignari. Et ſic quoque victrix cauſa Eccleſiæ eſt.

Laudat Concilium Tridentinum Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*; ſed ex recepta opinione Doctorum: et quod in eo laudabile eſt, ſuum facit: quod eidem deeſt et eſt tamen potiſſimum in ea materia, ſapientiſſime et ex Traditione ſupplet.

XIII.

## XIII.

DECERNIT Concilium Tridentinum, ſeſſ. IV. non eſſe interpretandam ſacram ſcripturam *contra unanimem conſenſum Patrum*. Reſpondeo primo, dicere Concilium id ſe decernere, *ad coërcenda petulantia ingenia*, quæ ſcripturam interpretari velint *in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, contra eum ſenſum, quem tenuit et tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu et interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum*. Itaque in quo non fuerit unanimis omnium conſenſus, licet in eo capite ab illis diſcedere; ſi non propterea diſcedas a fide et doctrina Eccleſiæ. Et ſi fuerit etiam unanimis conſenſus, ſed contra eum ſenſum, quem tenuit et tenet ſancta mater Eccleſia, deſinent illi merito exiſtimari Patres: et aut de aliis locutam eſſe ſacroſanctam ſynodum credi oportebit, hoc eſt, de Catholicis Epiſcopis,

qui in communione Sedis Apoſtolicæ obierunt; aut cum Doctoribus Catholicis poſuiſſe pro confeſſo unanimem iſtorum Pſeudo-Patrum conſenſum non adverſari ſenſui Eccleſiæ et Sedis Apoſtolicæ: quod aſſumptum pro vero ſi examinaſſent, falſum deprehendiſſent.

Non eſt in ulla alia quæſtione magis unanimis conſenſus Patrum, hoc eſt, eorum qui vulgo Patres appellantur, quam in demonſtratione de exiſtentia et natura Dei, nam eſt eadem apud omnes. At eſt illa plane ἄθεος: neque hoc ſolum, ſed quidquid omnino habent de Deo, de tribus in Deo perſonis, de Chriſto, et quæ ſunt ex illis fidei capitibus conſectaria. Aliud igitur Spiritus ſanctus dici debet intellexiſſe, cum unanimem conſenſum Patrum paſſus eſt commendari. Certe ſenſum intellexit illum, quo filii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ agnoſcerent intelligi ſcripta ea oportere, quæ Patrum eſſe vulgo crederentur. Nam *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*; pro veris Patribus

Patribus nati ſunt filii ab illis edocti, qui vera veri nominis Patrum ſenſa, ab eis accepta, retineant ac defendant.

P. Longobardi, de Sinenſium ritibus, pag. 18. *Quand nous leur diſions que le Xangti étoit le Createur de l'Univers* EN LA MANIERE QUE NOUS LE CONCEVONS, ILS RIOIENT, *et nous tournoient en ridicule, eſtans fort* ASSUREZ, *que, ſelon les principes de leur ſecte, le Xangti eſt le Ciel meſme, ou la vertu et la puiſſance du Ciel; et que par conſequent il n'a pu eſtre avant le Ciel, mais ſeulement lorſque le Ciel a eſté, ou après qu'il y a eu un Ciel. Que ſi nous voulions pouſſer la diſpute, et prouver à noſtre maniere que l'Architecte eſt avant la maiſon qu'il fait, ils nous interrompoient, et nous arreſtoient tous court, en diſant:* ET BIEN, PUISQUE VOSTRE DIEU EST NOSTRE XANGTI, VOUS N'AVEZ QUE FAIRE DE NOUS EXPLIQUER CE QUE C'EST, PARCE QUE NOUS SÇAVONS MIEUX QUE VOUS CE QUE C'EST QUE LE XANGTI. *Enfin quelque effort que nous*

*faſſions pour leur ſoutenir, que les Interpretes n'ont pas donné une bonne explication au mot Xangti, ils reviennent toujours à nous dire, que nous n'entendons pas leurs livres.* Hic, mutatis nominibus, pro Sinenſibus pone Janſenium, Andream Martinum ſive Ambroſium Victorem, Thomaſſinum, Malebranchium, ſimileſque Auguſtinianos: Pro Xangti pone Veritatem æternarum omnium in omni genere veritatum, quam pro Deo iſti habent: erunt omnia paria. Rident iſti primum, cum nos profitentes audiunt, Deum quem nos colimus, coli ab Auguſtino ceteriſque Patribus. Deinde interpellant, et dicunt: Si Deus quem colitis, Deus eſt Auguſtini et ceterorum Patrum (nam ſuper ea re mirifice unanimis conſenſus eorum eſt) bene habet; veſtra expoſitione nobis opus non eſt: enim vero quis ſit Auguſtini ac ceterorum Deus multo quam vos melius novimus. Jam illi quæ ſit Auguſtinianæ gratiæ natura melius noſſe ſe quam qui Catholici ſunt, et pro ſe facere putant Auguſtinum, palam jactitant: et magnos ſane in

in illa Pſeudo-Auguſtini gratia propaganda faciunt progreſſus. Ni Deus adjuvet, faciet eoſdem progreſſus ex noſtra inſcientia vel inertia Pſeudo-Auguſtini ac totius impiæ cohortis Deus.

Synodus Tridentina ſi Patrum ſcripta definiret continere Traditionem Eccleſiæ, ad quæ uſque tempora ætatem Patrum definiret? An uſque ad tempora Bernardi, ut ſit? Cur alios epiſcopos, qui poſtea ſcripſere, reſpueret? An divum Franciſcum Saleſium hodie Eccleſia rejiceret? Si ſolos ſanctos admitteret, cur non omnes? Cur poſt Bernardum nullus Pater, poſt Thomam et Bonaventuram nullus Doctor Eccleſiæ habetur; cum a Bernardo anni amplius 550. effluxerint, a Thoma et Bonaventura, anni 450? niſi quia Patres appellare Eccleſiæ vel Eccleſiæ Doctores, non ex uſu fuit aut eſt Eccleſiæ Catholicæ, ſed ex ingenio primum cœtus impii, deinde et hominum quos decepit. Simul omnes illi Pſeudo-Patres in una ſunt officina conflati ſæculo

XIV et XV. Poſtea tales reperti non ſunt conditores Patrum.

SYNODUS Tridentina ibi tradit regulas infallibiles, in quibus veritas continetur integritaſque fidei: atque eas dicit libros ſacros eſſe et traditiones in Eccleſia Catholica conſervatas. Non potuit regulas tradere, niſi errori minime obnoxias: cujuſmodi ſunt illæ duæ. Non ſunt autem regulæ infallibiles Patrum lucubrationes. Non potuit igitur aut ea ſcripta aut ſcriptores ipſos dare pro infallibili regula dignoſcendæ veritatis. Nec certe dedit. Non potuit affirmare, ſcripta quæ Patribus tribuuntur, continere certum et infallibile teſtimonium Traditionis receptæ, antequam illa ſingulatim expenderet; ac certo ſecerneret genuina ab adulterinis: deinde ſtatueret nihil eſſe in ſingulis niſi conſentaneum veræ traditioni. Neutrum fecit: neutrum facere hactenus certe voluit.

Sapienter ac vere reſponſum ex Urbe eſt ad provinciam Rheni inferioris, 9 Decemb. 1594. his verbis: *Rogatus Pontifex ut juberet neminem admitti Salmanticæ ad Gradum Theologiæ vel Cathedram, niſi in doctrinam S. Thomæ juraret, reſpondit ſe id non velle neque poſſe facere.*

Dices: Concilium Tridentinum, ſeſſ. vi. cap. 11. videtur Patrum ſcripta approbare, dum aït: *Nemo temeraria illa, et a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti (debet): Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet*, &c. Reſpondeo, cum tempus nondum adveniſſe judicaret Spiritus ſanctus ut myſterium iniquitatis detegeretur, paſſus eſt ſacroſanctam ſynodum his vocibus uti, quibus uti tunc, prout res erant, neceſſe eſſet et utile; tunc nimirum, cum veluti ſcripta Patrum ab illis ipſis admitterentur, contra quos ſynodus decreta condebat. Fuit igitur illa oratio quodammodo a Spiritu

ſancto quaſi ad hominem argumentatio: Vos, hæretici, ſcripta hæc arbitramini Patrum eſſe: atqui contra vos docent, &c. Deinde laudat ſancta ſynodus ſenſa et dicta Patrum, non qualia reipſa ſunt in libris; neque enim aut hos univerſos, aut ex iis ullum peculiari examine diſcuſſerat; ſed qualia eſſe crederentur a Catholicis Doctoribus: neque alia poſſet Tridentina ſynodus approbare. Itaque in facto error fuit; nec tamen in deciſione facti, ſed in ſuppoſitione: dum poſuit ſcilicet ſynodus, velut pro confeſſo, ſenſum librorum eum eſſe, quem Doctores Catholici referebant.

Attamen, inquies, Concilium Tridentinum laudat et commendat in interpretandis ſacris literis conſenſum Patrum, ſeſſ. iv. Reſpondeo ſynodum Tridentinam tantummodo *decernere*, uti jam dictum eſt, *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei ac morum—ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit et tenet ſancta mater Eccleſia aut—etiam*

*contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat.* At ego nec meæ prudentiæ innixus, ſed ſola ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fide nixus, neque ad meos ſenſus contorquens, ſed ex Eccleſiæ ſenſu placitiſque interpretans; nec unanimem quorumcumque ſenſum Eccleſiæ ſenſui anteponens; nec Patres agnoſcens, niſi quos ipſa poſt ſingulorum examen agnoverit: quod examen conſtat ab ea nondum eſſe inſtitutum.

Nec vero vel ſynodus Tridentina, vel, ſummi Pontifices in ſuis Brevibus ſanctorum Patrum communem conſenſum vel Auguſtini vel Thomæ doctrinam commendant, niſi hypothetice; hoc eſt, ſi quidem conſtiterit, qui proferuntur ſub eorum nomine libri, eos eſſe vere illorum et doctrinam minime contrariam continere fidei ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ mater eſt et magiſtra ipſorummet Patrum. Nam id ex eo patet, quod ſinit omnino et fas putat eſſe cuilibet omnia et ſingula ejuſmodi opera ad examen vocare:

vocare: id quod de libris ſcripturæ ſacræ nec ſynodus ulla œcumenica, nec ſummi Pontifices poſſent permittere. Quorum autem in ſcriptis, poſt illud examen, reperta placita fuerint, contraria fidei Catholicæ, hos certe Eccleſia abjudicat, et a ſuo cœtu repellit.

Qui ergo erunt Patres, quorum conſenſum laudat ſynodus Tridentina? Reſpondeo, omnes Epiſcopi et Doctores, qui ſunt defuncti in communione Sedis Apoſtolicæ. De his, una cum Apoſtolis et Prophetis, nunc illud intelligimus, *Deus patrum noſtrorum.* Quomodo vero eorumdem unanimis conſenſus agnoſcitur? Ex fide et doctrina ſucceſſorum, ſimiliter Sedi Apoſtolicæ adhærentium. Sic autem ſtatuendum eſt, eſſe etiamnum in Eccleſia donum Spiritus ſancti ad intelligendas ſcripturas. Quem igitur locum ſacrarum litterarum Doctores Catholici unanimiter adhibent ad aliquod dogma ſtatuendum, in hoc unanimem fuiſſe conſenſum oportet eorum, qui fuere vere Patres et Doctores. Ex hoc loco, exempli gratia, *Quo-*

*rum*

*rum remiſeritis peccata*, &c. colligunt poteſtatem ſacerdotum in remittendis peccatis: hi ſunt Patres: nec alii olim Patres, niſi horum in ea re ſimiles. Ex iſto, *Pluit Dominus a Domino*; aut ex illo, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, et ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*, colligunt plerique veterum duas treſve perſonas in Deo: non ſunt illi Patres: nemo unanimi eorum conſenſui in hac re credit. Scripturam allegorice interpretantur univerſi unanimi incredibilique conſenſu, etſi nonnulli parcius: quis hanc hodie interpretandi rationem non penitus aſpernatur, excepta Janſeniana factione, in Bibliis De Sacy nuncupatis?

Rideat etiam me qui velit, dicentem, Summos Pontifices et Synodum Tridentinam, dum vel Patres univerſim laudant, vel Auguſtinum aut Thomam nominatim appellant, illud intellexiſſe, ſanctorum virorum, qui in Eccleſia agnoſcuntur his nominibus et coluntur, ſe doctrinam ſequi; non eam quæ ſcriptis continetur ſuppoſititiis,

ſi

ſi qua ſint, quæ illorum nominibus falſo circumferantur. Qui me ſic dicentem riſerit, ſive ſic aſſerentem prophetaſſe aut Patres Tridentinos, aut Chriſti Vicarios, quoniam eſſent ſuo quique modo Pontifices Eccleſiæ Dei: rideat et ille Joannem Evangeliſtam, dicentem de Caïpha, prophetaſſe eum, quoniam eſſet Pontifex anni illius; quamvis alio ſpectaſſe Caïpham, quam quod ſenſus verborum ipſius propheticus innuit, hominis malevolentia doceat.

Igitur quaſi prophetico ſpiritu locuta ſynodus Tridentina videri poteſt, cum Patrum communem conſenſum laudavit. Neque enim ſcripta intellexit quæ exſtant, ſiquidem ea inter ſe non conſentiunt niſi in impietate: ſed cum illi quorum exſtant ſcripta ψευδεπίγραφα, cum Eccleſia non conſentiant; illorum voluit conſenſum laudare, ac vere illos Patres eſſe pronunciare, quorum doctrinam cum ſanctitate vitæ Romana Eccleſia extulit, id eſt, epiſcopos omnes et Doctores, quos in album ſanctorum retulit.

Nam

Nam hi profecto inter ſe et cum ipſa ſemper conſenſerunt.

Aio ego igitur, dum ſummi Pontifices in ſuis Brevibus Auguſtini vel Thomæ doctrinam commendant, tantum hæc duo dicere: Primum eſt, viros ſanctos non potuiſſe niſi ſecundum Catholicam fidem aliquid ſcriptis mandare: Alterum; aut inveniendum proinde in libris, qui eorum nomina in titulo præferunt, ſenſum eum, quem Catholici Doctores verbis eorum ineſſe putant; aut libros ejuſmodi ſanctis eſſe prorſus abjudicandos. Neque enim viri ſancti et Doctoris Catholici alia poteſt eſſe doctrina, aut aliam in quoquam poſſunt Romani Pontifices approbare, quam quæ ſummorum Pontificum Conſtitutionibus conſentanea ſit. Non dicunt, ſuo juſſu lecta fuiſſe hæc ſcripta et examinata diligenter, et ſecundum ſenſum ab auctore intentum ea eſſe Catholica. Quare ſi quis oſtendat non eſſe ea Catholica, modo defendat acerrime ſenſum, quem Romana tenet

Eccleſia, et quem ipſa credit a Doctoribus Catholicis in illis ſcriptis agnoſci; is eſt apprime Catholicus, et Pontificiis dictis ea quam ſummi ipſi Pontifices optant reverentia obtemperat.

Doctrinam Catholicam in libris contineri, qui Auguſtino tribuuntur, Catholici Doctores, qui eos genuinos putant, omni ope contendunt. His credunt Romani Pontifices, re non aliter diſcuſſa, neque ex delegata ſibi poteſtate ab Apoſtolica ſede ita ſtatuentibus ullis Doctoribus. Itaque error facti eſt in utriſque, et ante librorum eorumdem examen aut accuratum aut juridicum, quale præcedere ſolet Apoſtolicas definitiones. Error facti eſt, ſi quis ita velit, in ipſis ſummis Pontificibus: at non eſt error facti male definiti; ſed error facti cum Doctoribus Catholicis et propter ipſos incaute pro vero ſuppoſiti.

At ex Auguſtino et Thoma et aliis excerpta quædam in Breviario Romano leguntur.

tur. Hic verbis reſpondeo Antonii Gallonii, preſbyteri Congregationis Oratorii Romæ, in Apologetico pro Card. Baronio, adverſus Conſtantinum Bellottum, Ordinis Benedictini, edito Romæ, in Typopraphia Vaticana, anno 1604. pag. 10. "Quod "enim dicis *ex Joanne* (diacono) *acceptas* "*eſſe* LECTIONES, *eaſque in Breviarium* "*Romanum illatas:* inde ſcilicet arguis, "*non licere amplius Joannis ejuſdem ſcripta* "IN CONTROVERSIAM REVOCARE: At "neque Breviarium ipſum, præter LEC-"TIONES EX SCRIPTURIS CANONICIS "excerptas, Romana Eccleſia recitandum "ita tradit, ut omnia quæ in eo ſunt, velit "locum obtinere ſcripturarum Canoni-"carum. Nam ſi ita eſſet, cur correctioni "expoſuit illud Pius Papa Quintus, cum "fuerunt nonnulla correcta? Cur nuper-"rime ſub Clemente Papa Octavo recog-"noſcendum iterum idem eſt traditum, "cum loca pleraque ſunt emendata? Nam "inter alia illud ipſum, quod Joannes "diaconus aſſerit de Cardinalatu Gregorii "ſub

" ſub Benedicto Papa, eſt correctum; ut " fuerit Benedicti ipſius nomen ſublatum, " quod tamdem viri docti id ſenſerint APER- " TUM ESSE MENDACIUM." Quanto juſtius expungentur ex Breviariis omnibus omnes quæ dicuntur eſſe ex Patribus lectiones, cum deprehenſa in iiſdem fuerit aperta impietas?

ALEXANDER VII. in Brevi dato, die 7 Aug. 1660. laudat *inconcuſſa tutiſſimaque dogmata Eccleſiæ Doctorum Auguſtini et Thomæ*, et eorumdem *ingentia nomina:* ſed iiſdem præfert *ſanam et incorruptam doctrinam, qualem tot declarationes Apoſtolicæ Sedis et ſanctorum Patrum traditiones requirunt.*

IN Brevi quod ſcripſit Innocentius XII. die 6 Febr. 1694. *Auguſtini*, inquit, *qui tantæ ſcientiæ fuit, ut inter magiſtros optimos etiam a noſtris prædeceſſoribus haberetur; et cujus doctrinam ſecundum eorumdem prædeceſſorum ſtatuta Romana ſequitur et ſervat Eccleſia.*

*Eccleſia.* Ex communi Theologorum ſententia loquitur, ſed eadem ipſa falſa: nam ipſæ Cæleſtini et Hormiſdæ epiſtolæ, quas ſpectat hoc loco ſummus Pontifex, ſuppoſititiæ ſunt et fictæ ab impio cœtu, qui ipſummet condidit Auguſtinum.

Clemens Papa XI. die 28 Januarii, 1704. in damnatione libelli, *Veritable tradition* &c. *par M. de Launoy* &c. dicit viſum eum fuiſſe Cardinalibus Inquiſitoribus *ad minus tamquam impium, blaſphemum, nec non fulgidiſſimo Catholicæ Eccleſiæ lumini, maximoque Doctori ſancto Auguſtino, quinimmo ipſimet Eccleſiæ atque Apoſtolicæ ſedi injurioſum.* Et mox: *Romanorum Pontificum,* inquit, *prædeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem ſancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmiter inhærere volentes,* librum *damnat ac reprobat, et retineri prohibet, ſub pœna excommunicationis ipſo facto.* Reſpondeo primo, libellum vere dici impium

et blaſphemum, qui quem ſanctum ſcriptor libri credat, ab Eccleſia inter divos relatum, hunc impiæ doctrinæ ac novitatis reum accerſat. Reſpondeo 2. vere pariter dici, ipſimet Eccleſiæ et Apoſtolicæ Sedi injurioſum; tum quod ſupponat fuiſſe ab ea relatum in ſanctorum numerum impii (ut dixi) dogmatis aſſertorem: tum quod aſſerat cap. VIII. falſo dogmati viri ſancti faviſſe ſummum Pontificem Cæleſtinum; aut hunc ſaltem pravam S. Auguſtini doctrinam neque damnare voluiſſe, neque approbare; ex quo facta ſit illa problematica. Reſpondeo 3. quod dicitur, ſancti *Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuiſſe ſummos Pontifices, totoque mentis affectu fuiſſe amplexos*, non alium poſſe habere ſenſum, præter iſtum: Summos Pontifices, et Sedem Apoſtolicam, viri ſancti doctrinam, quem inter ſanctos ipſa retulerit, magno ſemper in pretio habuiſſe, &c. quoniam illi putant, et vere putant, nefas eſſe exiſtimare, in libris illius, quem eſſe ſanctum pronunciarint, exſtare doctrinam impiam. Nefas

et

et blaſphemum haud dubie foret hoc de S. Franciſco Saleſio, hoc de S. Carolo Borromæo ſentire; quorum ſcripta eſſe genuina, ab ipſiſmet, dum viverent, orbis univerſus didicit. An vero tam certum exploratumque ſit, opera quæ Auguſtini et Thomæ, ſimiliumque nomina præferunt, partus eorum eſſe genuinos; quamvis nunc eos benigne Catholici Doctores interpretantur, ne viri ſancti hæreſeos et impietatis magiſtri fuiſſe exiſtimentur; nondum Sedes Apoſtolica, nondum ipſi Doctores Catholici expenderunt; et fas eſſe etiamnum putant unicuique de hac re diligenter inquirere. Ac ſi deprehendatur ab aliquo ſagaci ac laborioſo Doctore Catholico, nomini magni Doctoris et viri ſancti ſuppoſitos hos libros fuiſſe ab impio cœtu; ipſa Sedes Apoſtolica ante omnes declarabit, non aliam fuiſſe Summorum Pontificum mentem atque ſententiam, quam quæ fuiſſe a nobis dicitur. Certe quidquid Sedes Apoſtolica examinaſſe ſe dixerit, et probarit deinde vel damnaverit, id omnino a Catholicis omnibus probandum

vel damnandum cenſeo. Qui ſecus exiſtimaverit, hæreticum et damnatum jam tunc a Deo deputo. Scripta autem, quæ Auguſtino tribuuntur, an Auguſtini ſint, necne, numquam examinavit, numquam ſe juſſiſſe ea examinari dixit Sedes Apoſtolica. Donec igitur ea examinarit, non poteſt de his aliter loqui, quam loquuntur, re nondum perpenſa, et ex ſola communi popularique fama, omnes Doctores Catholici; nullo interim ſenſu librorum eorum approbato, quam quem Catholici Doctores approbant, et quem ipſa Sedes Apoſtolica per ſuas Conſtitutiones tenendum proponit. Non poteſt igitur nunc quidem Sedes Apoſtolica aliter loqui, quam facit. Damnoſum enim eſſet profecto rei Chriſtianæ Catholicæ, confiteri eum, qui Doctor egregius ab ipſamet Eccleſia Catholica creditur, hunc anteſignanum fuiſſe Lutheranorum, Calvinianorum, ac Janſenianorum, hoc eſt, omnium atheorum. Interim doctrinam libris comprehenſam, qui Auguſtino tribuuntur, reipſa a Sede Apoſtolica damnari, maxime

vero noviſſima Conſtitutione Clementis ipſius XI. quæ incipit, *Unigenitus*, conſentiunt cum Catholicis bene multis, et mecum certe, Janſeniani omnes; qui de hac re magnos quotidie clamores edunt; qui ut ſalva ſit Auguſtini doctrina flagitant; et quibus negari non poteſt tam probe perſpectum eſſe Pſeudo-Auguſtini ſenſum quam Janſenii, hoc ſoli negant illiterati, vel contentioſi ac litium æternarum amantes.

Dices: Tu poſt annos mille et ſeptingentos dicis quantum eſt ſcriptorum veterum Græcorum ac Latinorum de rebus Eccleſiaſticis, id omne eſſe ſuppoſititium: quod tanto temporis ſpatio nemini adhuc venit in mentem. Reſpondeo non potuiſſe ferri judicium de his operibus antequam et fierent et legi poſſent: ficta ſunt autem ea ſæculo decimo quarto: legi vero vix potuere, niſi cum typis edita ſunt, id quod fere contigit ſæculo XVI. tantum. Statim autem fere ac conficta ſunt, iis ſunt abuſi Wicleffus et ſocii, deinde Lutherus et Calvinus.

Catholicis vero plus cordi fuit traditionem non ſcriptam quoquo modo tueri, quæ falli non poteſt; quam ſcripta dubiæ fidei legere; id quod eſt plenum laboris et tædii. Adde nec ſatis eiſdem otii fuiſſe, ut ſpuria ſecernerent a ſinceris; vel potius ut ad impietatem inducendam ac ſtabiliendam fabricata eſſe omnia intelligerent.

Nullum argumenti genus mihi videtur miſerabilius eſſe aut imbecillius, quam quod ducitur ad fidem noſtram convellendam, ex teſtimonio ſcriptorum, qui erui cœpti ſunt e forulis Bibliothecarum ſæculo XIV. fere ſeneſcente. An enim ſi ego, exempli gratia, et ſocii decem, aut (ſi placet) quadraginta, hoc ſæculo, ego quidem Pariſiis, alibi alii, conſpiremus in eodem aliquo argumento nova quadam ratione tractando; inde quiſquam jure colligat poſt annos centum vel plures, Pariſienſes omnes, Romanos, Burdegalenſes, Toloſanos, Lugdunenſes, Hiſpanos, Italos, Germanos, orbem univerſum nobiſcum deliraſſe, et ab inditis ſibi

ſibi præjudiciis receſſiſſe? Præſertim cum manifeſtum ſit, ejuſmodi ſcripta, ſtatim ut confiĉta ſunt, abdita fuiſſe magno ſtudio in Bibliothecis, ne niſi poſt certum tempus inde exirent: nec fuiſſe nota ea aut pro ſinceris habita, niſi teſtimonio pariter deſipientium, et ſimili furore delirantium.

## XIV.

AD fulciendam omni ex parte fraudem, oportuit ſcribi hiſtoriam in primis Eccleſiaſticam. Sic enim oſtenditur per res geſtas diverſas eam fuiſſe et fidem et diſciplinam omnibus ſæculis, quam vellent introduci et obſervari. Eam ob rem ad conſtituendam hiſtoriam, conciliandamque ei fidem, oportuit, præter alia, ſeriem conſtare Romanorum Pontificum; ut conſtaret nimirum, quo ſæculo, quo circiter anno, quiſque vixiſſet; cujus ex aliis Patriarchis æqualis eſſet. Sic Auguſtinus in epiſtola CLXV. dum ſeriem deſcribit Romanorum Pontificum,

ficum, fidem conciliat (ſi credimus) toti hiſtoriæ Eccleſiaſticæ uſque ad ſua tempora, et illi ipſi ſeriei quod utrique nimirum intelligebat neceſſe eſſe fidem conciliari ad hypotheſim ſuam ſtabiliendam. At ſunt ficta quæ affert ille omnia Romanorum Pontificum nomina. Lini certe, exempli cauſa, nulla Romæ memoria exſtat; hoc eſt, nulla ejus nomine Eccleſia, vel capella, nullum cultus ipſius veſtigium eſt. De ceteris ſingulatim dicere non eſt hujus loci. Non dico non fuiſſe perpetuam, nec interruptam ſeriem Romanorum Pontificum: abſit. Aïo dumtaxat, non magis illam integre deſcriptam fuiſſe, aut magis neceſſariam ſcitu fuiſſe vel eſſe, quam fuit aut integre deſcripta in libris ſacris ſeries Pontificum Judæorum; et in archivis ſingularum civitatum orbis Chriſtiani ſeries epiſcoporum; aut magis ſcitu neceſſaria ſit, quam illa Judæorum Pontificum ſcitu neceſſaria vel fuit, vel etiamnum eſt.

Horret animus dicere, nullam eſſe magis fabuloſam hiſtoriam, quam eſt ea quæ hiſtoria Eccleſiaſtica dicitur, duodecim priorum ſæculorum. De vitis ſanctorum non loquor: nam de his res eſt manifeſta: quidquid eſt præterea hiſtoricum hoc verbo complector. Quod ſi verum eſt, quis deinde miretur tractatus etiam rerum quæ ad religionem pertinent eſſe fictos, cum hiſtorica narratione nitantur, quæ falſa et ficta eſt? Nihil dici poteſt Catholica religione ſanctius aut divinius, ſi dogmata ſpectes: nihil ſordidius, ſi vel ſcripta ψευδοπατέρων, vel hiſtoricas narrationes (exceptis libris ſacris) conſideres. Vere *inimicus homo ſuperſeminavit zizania.*

Quot fere tamen hiſtoriæ ſunt, totidem ſunt allegoricæ narrationes; ne ſcilicet Veritatis pro Deo cultores, mendacia mera ſcribant. Sed et totidem eæ dramata ſive tragœdiæ ſunt ex arte contextæ: ex quibus ſi vel unum caput demas, veluti ſubtracta

deſtina,

deſtina, ruat ædificium neceſſe eſt. Omnes autem eo concorditer ſpectant, ut adſtruant ἀθεότητα, nihilo minus quam libri, qui vocantur dogmatici.

Conjunctis operis ſcripſit hiſtoriam agmen peſtiferum: unde ſe invicem exſcribunt ſæpiſſime: ſic numero librorum legentes obruerunt, et incredibiliorem fecerunt ſuſpicionem mendacii vel ſuppoſitionis. Vix quidquam ſimilius eſt, quam ſunt inter ſe ſcriptores de hæreſibus, quamvis alter altero longius interdum progredi, aut rem magis illuſtrare videatur. Et ſunt hi numero fere viginti. Chronicorum vero ſcriptores multo ſunt plures, et ſe crebrius deſcribunt. *Urſpergenſis, Altiſſiodorenſis, Stadenſis, et Pariſius, hujus temporis auctores, iiſdem pæne omnes verbis uſi: ut videantur ex eodem fonte hauſiſſe, quæ de his ſcripſerunt*, inquit Spondanus, ad annum 1215. n. VII. de Concilio Lateranenſi. Verius diceret, ex una omnes prodiiſſe impia officina.

Si Deus non eſt, ut credi vult cœtus impiorum, niſi Natura rerum et lumen naturale, quæ et Recta Ratio eſt; nec proinde Religio Chriſtiana alia eſt, quam obedientia Rectæ rationi, quæ et Philoſophia dici poteſt, cum Recta Ratio ſit etiam Veritas et Sapientia: ſequitur eos omnes, qui Rectæ Rationi obediant et lumini naturali, eſſe Chriſtianos. Ergo pagani plurimi erant Chriſtiani, quamquam ſine Deo, ut Paulus affirmat. Eam ob rem ſcribi cudique hiſtoriam Græcam oportuit et Romanam, plenam flagitiis Principum et Populorum; homicidiis, cædibus, impuritatibus omnis generis: ne, ſi ex rationis ductu vixiſſe credantur, Chriſtiani fuiſſe exiſtimentur.

Cur fabulæ ſunt in libris ethnicorum, quæ ſimilitudinem aliquam referunt hiſtoriarum ſacrarum? Quoniam ſi non eſt Deus niſi Natura, et ſunt in aliqua parte terrarum res geſtæ quædam ad erudiendos homines, eæque propterea literis conſignatæ, qui libri

ſacri

ſacri vocantur; oportet et in aliis quoque terris vel gentibus ſimilia evenire effecta Naturæ, quæ pariter ſcriptis mandentur. Ergo et alibi oportuit oſtendere ſcriptas fuiſſe hiſtorias rerum geſtarum, apud Ægyptios, Græcos, Romanos, quæ mortales pariter erudirent.

Ut hiſtoriam Romanam Græcamque conficerent, nomina virorum multa deſumpſere ex nummis antiquis, quorum habuere magnam ſupellectilem: per ipſos enim ad nos ii pervenerunt. Quæcumque nomina in nummis non exſtant, vel apud Plinium, ea ex Hebræo finxere, ut ſuis locis indicamus. Nullam prius exſtitiſſe Romanam Græcamve hiſtoriam, qualem habemus, ex eo indicio manifeſtum eſt; quod nimirum incredibiliter pugnat iſta cum nummis veteribus, quantum ad Genealogiam, Chronologiam, et res geſtas Principum pertinet, ut ex nummis Auguſtorum a Cæſare ad Heraclium, aliiſque, oſtendimus. De his quæ leguntur in hiſtoria ſcripta, nihil

nihil omnino nummi veteres habent; ſed prorſus contrarium exhibent: et quod majus eſſe in hiſtoriis fabuloſitatis indicium poteſt? Nihil fere eorum quæ ſunt in nummis ſculpta, hiſtoria ſcripta repræſentat; et non eſt iſtud alterum certum *νοθείας* argumentum? Et quid mirum, mentitos eſſe in hiſtoria profana, qui ſacram perverterunt aut adulterarunt?

Si nullos haberemus rerum geſtarum a regibus noſtris ſæculo XVI et XVII. ſcriptos annales, præter indiculum dumtaxat, in quo regum eſſent perſcripta ex ordine nomina, et obſcuros rumores bellorum; quam locuples ille nebuloni alicui fundus videri poſſet, ad contexendam hiſtoriam, ſeu verius fabulam iſtorum temporum? Fingeret nunc bella civilia in provinciis diverſis, nunc externa cum Anglis, Batavis, Germanis, Italis, et Hiſpanis; nunc fœdera et tractatus pacis. Talis viſus eſt nefariæ coïtioni fundus ille, qui ſpatium exhibebat mille et ducentorum annorum poſt Chriſtum, et eo

amplius: quo ſancte vivere, quam annales ſcribere erudite, majores noſtri maluerunt.

Nisi exſtarent libri typis editi, et Regiſtra publica, quomodo ſcire poſſemus quis fuerit epiſcopus Pariſienſis ante annos centum quinquaginta vel certe ducentos? Atqui nulla ſunt Regiſtra publica in Gallia ante ſæculum decimum tertium jam adultum.

Si quis vellet hiſtoriam condere non modo priſci temporis, ſed et hodierni, regni Marocci et Fezzæ vel Algerii, quæ ſunt in litore Europæ adverſo poſitæ regiones, quam poſſet ille impune mentiri? Si cui ſimiliter in mentem veniret condere hiſtoriam Perſarum, et vel ibi vel in regnis Africæ proxime appellatis, in Marocco dico et Fezza, oſtendere Chriſtianam Religionem maxime floruiſſe, Eccleſias cum monaſteriis ædificatas, Concilia celebrata, perſecutiones etiam interdum exortas; Reges ſingulos appellare de nomine, tum Chriſtianos, tum Mahumetanos; poſſet fabulari quidquid vellet

vellet impune. Et erat iſtud multo facilius ſæculo decimoquarto quam noſtra ætate, quæ fabulas odit. Talis eſt hiſtoria univerſa Eccleſiæ Africanæ, quæ nunc legitur.

Omnem propemodum hiſtoriam præteriti temporis confinxere, qualis cum impia hypotheſi ſua congrueret. Sed quod potiſſimum ſubruere ac ſubvertere conati ſunt, ſtetit integrum illæſumque in animis fidelium: nempe cultus veri Numinis, et veri Dei hominiſque Chriſti. Judicavit Dominus eatenus cauſam ſuam. Crederent homines ut luberet de rebus Græcis, Romanis, Francicis, Hiſpanis, Anglicis, aliiſque; etiam de hiſtoricis narrationibus rerum in Eccleſia geſtarum: Curat Deus ſcilicet, quid otioſi litterati ſentiant. At rem ſuam interim tutatus egregie eſt, et pro ſua pietate tutabitur.

Non in pergameno tantum, ſed et in plumbeis laminis quædam illi ſcripſere,

ad

ad Eccleſiaſticam hiſtoriam profanamque ſpectantia: id quod et alii recentiores etiam ſunt imitati. Sic Ahmed ben Caſſem al Andalouſi, Maurus Granatenſis, qui vivebat anno 1599. citat manuſcriptum codicem Arabicum S. Cæcilii Archiepiſcopi Granatenſis, qui repertus fuerat cum SEDECIM LAMINIS PLUMBEIS, inſcriptis Arabico charactere, in ſpelunca prope Granatam; ita etiam atteſtante D. Petro De Caſtro y Quinonas Archiepiſcopo Granatenſi. Hæ laminæ plumbeæ, dictæ Granatenſes, Romam poſtea ſunt delatæ; ubi poſt examen plurium annorum, damnatæ ſunt tamdem ut apocryphæ, ſub Alexandro VII. De Infantia Salvatoris multa continebant fabuloſa: de quibus vide D'Herbelot. Ejus generis ſunt plumbeæ multæ laminæ, quæ in ſepulcra conjectæ corpora ibi ſanctorum poſita eſſe teſtantur, vel Principum virorum, aut nomina Conſulum habent ſcripta, ad conciliandam Faſtis fidem. De falſa (ut quidem vult credi Pſeudo-Guibertus de Novigento) plumbea

plumbea lamina, in qua ſcriptum erat, FIRMINVS MARTYR AMBIANORVM EPISCOPVS; vide ipſum, libro I. De pignoribus ſanctorum, cap. iv.

In lapidibus etiam varias inſculpſere fraudes; inſcriptiones falſas, ficta paria Conſulum, canonem Hippolyti, aliaque.

Si ſoli ſcriptores Eccleſiaſtici cuderentur, ſuſpicio ſtatim fraudis eſſet, cum nihil profanorum ſcriptorum videretur eſſe pari cura ſervatum: præter cauſam alteram ſuperius allatam, quæ coëgit ſcripta profana fingere etiam anteriorum temporum. Hiſtoriam propterea Græcam Romanamque, qualem et quantam habemus, condi oportuit. Scribi quoque poëmata omnis generis; ſed quæ prodeſſent ſimiliter impiæ hypotheſi fulciendæ; et in quibus ingenium nefariæ coïtionis ſagacioribus appareret. Ex iis libris oportuit videri hauſiſſe Eccleſiaſticos ſcriptores ea quæ narrarent de hiſtoriis,

fabulis, et religione ethnicorum; neque de ſuo quidquam fingere.

Ut noſtra ætate ſermone Gallico ac vernaculo ſcribunt eleganter Janſeniani, priſtinæ illius impietatis ex aſſe heredes; ita ſæculo XIV. qui optime Latine ſcribebant, ii nobis fecere Ciceronem, Maronis Æneïdem, Lactantium, ceteroſque omnes, quos fama fert eleganter ſupra alios ſcripſiſſe. Sed ſub alienis et magnis nominibus ſuas voluere illi lucubrationes apparere, quoniam id e re ſua erat; ut e re Janſenianorum eſt occultare ſeſe, nec ſuum nomen libris a ſe exaratis inſcribere, cum metuunt poteſtatem. Jucunda erant et elegantia ingenia, ut Spondanus eos appellat, qui occaſione diſſidii inter Papam et Fridericum Imp. vaticinia confinxere, ad annum 1239. n. VI et VII.

Aliena ſuis lucubrationibus nomina apponebant, non ſua: cur? ut plus eis ex nomine viri inſignis, ac præſertim epiſcopi

et

et ſancti, auctoritatis accederet; et ut implerentur ſæcula quæque multis teſtibus ſuæ ἀθεότητος. Nonne ævo noſtro prodierunt duo ingentia volumina ſub nomine Patris Lemos? Quin ea ſuo ſub nomine apparere artifex fecit? Par ratio eſt utrobique.

At ex Æneïde, inquiunt, vates ſibi comparaſſet famam immortalem. Æneïda, Tullii vel Plutarchi, aliorumque nomine ſcripta condidere viri magis impietatis ſuæ, quam famæ propagandæ cupidi. Itaque nullum eſt ex his opus, quod non ex omni parte reſipiat impiam factionem; nullum certe, quod non proſit, ſi vetuſtum credatur ex titulo, ad conciliandam ſimilem opinionem vetuſtatis aliis, a quibus laudatur.

Si fumoſis inſcriberentur membranis, quæ vel in uno hoc Collegio Pariſienſi per annos xxx vel xl. noviſſimos ſcriptæ ſunt Rhetoricæ, Tragœdiæ, Orationes, Poëmata, Odæ, Panegyrici, Tractatus de rebus phyſicis, Epiſtolæ, Epigrammata, aliæ-

que Exercitationes ſcholaſticæ, novi poſſent apparere Quintiliani, Senecæ, Plinii juniores, Virgilii, Statii, Lucani, Horatii in Odis, et forſan meliores. At nunc et fallendi cauſa et ars et voluntas abeſt; quæ omnia tunc erant maxima. Mambruni noſtri Conſtantinus Æneïdi haud impar eſt: Sarbievii Odæ Horatianis, meo quidem judicio, ſunt potiores: Malapertii Sedecias Senecæ tragœdo prænitet.

Mirificus eſt inter hiſtoricos ſcriptores conſenſus, qui coïtionem peſtiferam arguit; etiam cum diffidere a ſe invicem plurimum putantur: quæ diffidia affectavere de induſtria, ne conſpiraſſe inter ſe omnes viderentur. Conſenſio autem illorum in eo poſita eſt, quod ſunt omnes fere allegoricæ hiſtoriæ vel ænigmaticæ; in quibus et loca et tempora et nomina etiam diſſimilia, eamdem occultam et allegoricam habent ſignificationem. Hinc autem intelligas, quam multa ſcribantur hac noſtra ætate inutilia, ad illos inter ſe conciliandos, et ad inve-

inveniendam ex eorumdem qualicumque conciliatione hiſtoriæ veteris veritatem.

Missionarii e Perſide ad nos retulerunt, hiſtorias Perſicas de bellis Romanorum contra Perſas, nullo modo cum noſtris annalibus convenire. Neque tamen veriores putamus Perſas eſſe, quam ſunt ſcriptores noſtri ſuppoſititii. Nam ante tempora Mahometis, quæ libris hiſtoricis Arabum continentur, meras eſſe fabulas mera ſomnia, qui peritiores ſunt hic linguæ Arabicæ mihi ſunt aſſenſi.

## XV.

QUI ſit ut ante inventam Typographiam ne liber quidem unus exſtet, qui ſit vel in uno dogmate Catholicus; et in Bibliothecis curæ fuerit eos dumtaxat fere recondi aſſervarique libros, qui eſſent ab aliquo ex impio cœtu conſcripti? Currerent alii in vulgus libri; ac vetuſtate paulatim ibi interirent, uſu detriti. In Bibliothecas enim ſi reconderentur libri Catholici, totidem adverſus hujus impiæ cohortis partus ii teſtes eſſent. Itaque magna cura eliminandi exinde fuere, et arcendi ab introitu. Ante Bibliothecas igitur inſtitutas, quæ nullæ fuerunt ante ſæculum XIV. ſiquidem conſtant omnes libris non aliis, quam qui ſunt tunc ficti; præter Biblia, et libellos precum qui portarentur facile et tererentur uſu; ſed quotidie reſtituerentur. Ut nihil Judæi ſervavere ſcriptum, præter Biblia, quæ geſtari una manu, et in pera poſſunt.

Sic

Sic et Chriſtiani fecere uſque ad exortum impiæ cohortis.

Nulli libri ſcripti videntur niſi poſt annos ab ea ætate quam mentiuntur, certe multos, nunc plures nunc pauciores: ut poſſent nimirum mentiri, nihil aliud ſcriptores ſenſiſſe, quam quod eis affingerent. Nam id ipſis vivis fingi haud potuiſſet. Idcirco nec ulla hiſtoria ſcripta eſt a coævo ſcriptore; ſed multo poſt ejus obitum coævo ſcriptori eſt adtributa: hoc eſt, poſt annos fere centum. E recentioribus, hiſtoria Concilii Florentini, poſt annos circiter triginta eſt edita, quam ipſum eſt celebratum.

Sæculo ineunte decimoquarto ſuſceptum fuiſſe conſilium cudendi Patrum ſcripta, ex eo (ut diximus) debet manifeſtum eſſe, quod ultimum ſive noviſſimum Patrum falſarii voluere eſſe Bernardum Clarævallenſem. Quod velle non potuerunt niſi poſt annos ſaltem ab ejus exceſſu du-

centos. Tunc enim perſuadere potuerunt a ſe ſcripta illius eſſe reperta. Hoc autem ita velle et facere eos oportuit; primo, ne poſt ſuam ætatem aliqui alii Patres eſſe ſimiliter cenſerentur, qui tamen ab ipſis diſſentirent, hoc eſt, orthodoxi et Catholici. 2. ut uſque ad tempora patrum ſuorum omnes Doctores ſecum ſenſiſſe ſuaderent; ſibi nefas eſſe proinde ab illis diſcedere. Cum tamen Eccleſiæ moris non eſſet, appellare Patres ullos ſcriptores: nam ſi hunc morem habuiſſet, adhuc retineret. Non retinet autem. Atque hac quidem parte fraus ſuis artificibus egregie ſucceſſit. Creditum ex illo tempore eſt, 1. noviſſimum Patrum eſſe Bernardum: quaſi non potuerint eſſe poſtea viri docti qui per Evangelium filios Chriſto gignant. 2. nefas eſſe a doctrina ſcriptis eorum comprehenſa vel latum unguem diſcedere.

Quis vero miretur, turbulentis temporibus Philippi Pulcri, ac paulo antea fortaſſis, ſed multo magis poſt ejus exceſſum, fuiſſe

fuiſſe viros ingenioſos, ſed atheos; qui juxta hypotheſis impiæ placita (quæ plurimum ſane acuminis, nec minus certe, quam impietatis, habent) libros cuderent, quos in Bibliothecis velut nothos filios in obſcuriſſimis natalium tenebris abderent et reconderent; poſt aliquot annos perſuaſuri hominibus eos ex Græcia, ex Africa, ex Ægypto, ſub divo Ludovico, ex Italia et ex aliis orbis partibus alias advectos fuiſſe; atque ex Gallia ipſa ex aliis locis, quam ubi degerent? Quis iſtud, inquam, putet incredibile, qui viderit nobiſcum, temporibus religioſiſſimi principis Ludovici Magni, quo tempore dicuntur et eſſe reipſa ſunt eruditi viri plurimi, quique Catholici certe haberi velint; nihilominus libros, non clam, non manu tantum exarari, nec paucos; ſed plurimos aperte typis edi, qui Atheïſmum docent manifeſte, in regno Chriſtianiſſimo, in urbe primaria, paucis id advertentibus, nemine reclamante?

Visum eſt impoſtoribus opportunum tempus fabricandis falſis monumentis, tunc cum dici poſſent alia ex Oriente, ſive poſt captam a Francis Conſtantinopolim, anno 1203. ſive poſt receptam a Græcis (ut quidem ſcribunt hiſtorici Orientales), anno hegyræ 655. qui eſt annus Chriſti 1257. alia ex Ægypto, Syria, Africa, poſt expeditiones divi Ludovici in eas regiones, advecta fuiſſe in Italiam et Galliam. Hinc factum videtur ut in Hiſpaniam rari codices antiqui pervenerint; in Britanniam minorem vix ulli.

Usque ad natam Typographiam et facilitas magna fingendi fuit, et libido. Poſt eamdem natam difficilius id fieri potuit. Itaque tempus fingendi fuit, ſæculum XIV. et XV. et XVI. Tempus typis edendi, ſæculum XV. XVI. et XVII. Tempus examinandi, et fraudis detegendæ, ſæculum XVII. exiens, cum conſequentibus; ne vires ea fraus cum annis acquirat. Et provi-

providentiæ fuiſſe ſingularis arbitramur, quod nemini Deus hanc mentem injecerit, ut totam (quemadmodum appellant) Antiquitatem falſi ſuſpectam haberet, priuſquam e forulis Bibliothecarum tota exîſſet. Proſunt enim monumenta alia mirifice aliis intelligendis et coarguendis. At nunc nihil fere exſpectandum eſt, quod ſit alicujus momenti, præter ea quæ publici juris facta ſunt. Tempus ergo nunc eſt, nec antea fuit, ut quam ſint Catholicæ Religioni exitioſa, omnibus palam fiat.

Scripta Græca ſæculi XIII. XIV. XV. et XVI. ficta videntur ab anno fere 1450. Venetiis: unde ſunt advecta in Germaniam. Idcirco manuſcripta exemplaria pleraque ibi etiamnum ſunt, in Bibliotheca Bavarica, Auguſtana, &c. et exſtitere diu in Palatina. Permulta ſunt Venetiis, Mediolani, &c.

Scripta Latina prius facta ſunt quam Græca: unde Latini priorum ſæculorum nullos pæne Græcos laudant, aut certe paucos,

paucos, et in fine operis poſtea additos. Idcirco Concilii Nicæni, quod deſtinarant, alii alios canones citant, quos poſtea Nicænorum canonum conditores omiſerunt.

Habuit cœtus impius Mathematicos computatores eclipſeon, Jureconſultos conditores codicum ac legum, Medicos qui de medicina ſcriberent, Poëtas, qui carmina ederent, linguarum peritos interpretes ſibi addictos, qui ſcripta a ſe Latine, in Græcum potiſſimum ſermonem, ſed et in Hebræum Arabicumque converterent: quemadmodum Vittembergenſes Græculum habuere, qui Confeſſionem Auguſtanam ad Jeremiam Conſtantinopolitanum mittendam interpretatus eſt, laxiore paulo ac ſolutiore ſtilo, quamvis eodem plane ſenſu. Qui ſcholas tunc tenuere, ii operam quoque ſuam contulere, ſcriptis voluminibus de Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Muſica, ſub Auguſtini, Caſſiodori, Rabani, aliorumque nominibus: quæ totidem videntur adſignatæ monachis,

monachis, in quibus ſe exercerent, lucubrationes.

Circa annum 1350, vixiſſe ponitur Maximus Planudes, qui libros quindecim Auguſtini de Trinitate vertit in Græcum ſermonem; hoc eſt, haud multis poſt quam abſoluti ſunt annis. Vide quæ de adventu Manuelis Chryſoloræ in Italiam anno 1397. refert Spondanus, num. vi. *Is*, inquit, *mox incipiens docere litteras Græcas, quæ per annos pæne ſeptingentos temporum iniquitate in Italia conticuerant; Venetiis primum, et mox Florentiæ, Romæque, ac demum* Ticini; *Italorum ingenia adeo excitavit, ut non ſolum eam linguam feliciter ſuſceperint; verum etiam Latinam, quæ multam barbariem a longo tempore contraxerat, in antiquum nitorem reſtituerint.*

Papiæ certe vel Papienſis pars magna mihi fuiſſe videtur improbæ factionis: 1. ob corpus S. Auguſtini, quod ibi eſſe commenti ſunt. 2. ob inſignes prærogativas,

quas finxere Papienſibus epiſcopis a ſummis Pontificibus attributas: et quidem ſatis feliciter: Has enim vero hodieque ſervant, fulti iſtis duxtaxat falſis monumentis. Has vide apud Ughell. tom. 1. Italiæ ſacræ. In Belgica Gallia, circa Theodonis villam, quædam ex his operibus fuiſſe condita ſuſpicamur ex libro 1. Pauli diaconi, cap. v. Sed multo plures in Gallia primum, et maxime Pariſiis: Gallos deinde imitati ſunt Angli, aliique.

Multi tunc erant in occidente ex oriente profugi, periti linguarum orientalium, quibus libri Gallice vel Latine ſcripti tradebantur in linguam Græcam, aliamve peregrinam transferendi. Sic nuper in hac civitate vidimus hominem Æthiopice peritum, qui in linguam Æthiopicam vertit e Græco homiliam Chryſoſtomi de Natali Chriſti. Hæc ſi in Æthiopiam deferatur, mox ibi ea tranſlatio ejuſdem ævi ac Chryſoſtomus ipſe, cenſebitur. Idem de codicibus Græcis manu ſcriptis, aliiſque ferendum

ferendum judicium eſt. Propterea finxere anno 1285. ſtudium Arabicæ linguæ aliarumque Orientalium fuiſſe Pariſiis inſtitutum, ut refert Spondanus ad eum annum, n. XXII. Falſum iſtud : ſed vere creditur multo poſtea ex primigenio fonte Latino tranſlatam eſſe in Arabicum ſermonem Elmacini hiſtoriam, Eutychii annales, Arabicam verſionem Bibliorum, &c.

NARRAVIT mihi P. Petrus Beſnier, e Societate noſtra, ſibi oſtenſum Conſtantinopoli fuiſſe tractatum de Primatu Papæ Græce ſcriptum, ſub nomine Arſenii Patriarchæ Hieroſolymitani, cujus ſucceſſor Doſitheus tunc vivebat. A ſe autem deprehenſum eſſe, Latine primo ſcriptum eum tractatum fuiſſe ; deinde a quodam Medico in Græcum ſermonem tranſlatum, hortatu trium Reſidentium, qui erga Romanam Curiam erant peſſime animati. Id vero primum ſe deprehendiſſe ex ſtilo qui minime reſiperet hominem ſub cælo Græco natum.

AB

Ab anno 1350. circiter uſque ad annum 1480. ficti videntur quotquot habemus ſcriptores et ſcripta attributa ſæculo undecimo et conſequentibus, uſque ad illum annum 1480. in primis vero Summorum Pontificum libri Decretales, Extravagantes, &c. Hoc ſpatium temporis ut ſuis auctoribus impleretur, quæſtiones ſunt renovatæ de proceſſione Spiritus ſancti, et de primatu Romani Pontificis, quæ jam antea perſæpe fuerant agitatæ. Summæ item ſcholaſticæ concinnatæ ſunt, ut in ſcholis recepta fuiſſe Patrum ſcripta et ſententiæ crederentur. Duo tunc ficta ſunt de Spiritus ſancti proceſſione Concilia: alterum imperfectum, Lugdunenſe, ut poſtea ſæculo conſequente alterum a Barlaamo Concilium poſtularetur, quod eſſet numeroſius; hoc eſt, ubi Patriarchæ adeſſent; quod denique celebraretur ſæculo ſequente, anno 1439.

Chartæ, diplomata, privilegia falſa, cudi cœpta ſub Philippo Pulcro, plura ſub

Philippo

Philippo Valeſio, plurima poſt Carolum V. Francorum Regem, ut alibi docuimus. Quædam etiam in Ægyptiaca papyro, allata in Europam poſt expeditionem S. Ludovici Ægyptiacam.

In examine ſive Cenſura ſingulorum operum innumera indicamus, quæ ſe ſubinde offerunt, argumenta, ex quibus haud dubie ætas ſingulorum ea eſſe intelligitur, quam adſignamus. Nondum deſiiſſe cudi ſub nomine Auguſtini opera ſæculo decimoquarto ſeneſcente, teſtes ſunt Sermones ad fratres in Eremo, quos eruditi conſentiunt, tunc ab aliquo Gallo-Flandro fuiſſe confictos.

Quomodo, inquies, non obſtupuit orbis, tantam ſimul effundi copiam librorum ſibi prius ignotam? Reſpondeo primo, ſi nulla eſſet hodie ars Typographica, poſſet hodieque turba nebulonum, puta Janſenianorum, quorum alii in aliis eſſent regni civitatibus, educere e Bibliothecis vel ſcriniis ſuis,

ſcripta quæ vel a Cardinale Perronio vel a S. Franciſco Saleſio exarata olim fuiſſe mentirentur, aut ab aliis ſuperioris ſæculi luminibus. Sic olim prodiere alia alibi ſub magnis nominibus opera, ſed falſa, quæ nunc vera creduntur. Reſpondeo 2. neque omnes libros ſimul ſcriptos, neque ſimul eſſe effuſos, neque uno in loco. Alii Pariſiis, alii in Italia, alii alibi proferebantur, idque paulatim. Plurimi lucem non aſpexere niſi poſt annos centum aut ducentos ab ortu ſuo: ut Facundus, qui paulo ante noſtram ætatem prodiit; ut quidam alii ævo noſtro. Alii ex oriente recens advecti, ut Græci omnes; alii ex Italia dicebantur: et ab iis quidem id prædicabatur, qui ſoli claves ſcientiæ, hoc eſt, qui ſoli Bibliothecas haberent. Cur miraretur orbis prodire libros ex iis domibus, in quibus ſcripti plerique palam credebantur? Nam a Gregorii M. certe temporibus uſque ad ſæculum XIII. aut nullus aut rarus eſt ſcriptor, quem non e ſua domo et familia fuiſſe Benedictini jactitent.

NE

Ne quiſquam tamen infeſtum me Benedictinis hodiernis putet: non magis illos credi volo filios impiorum, quam filios indiſciplinatorum, quorum in locum venere, inducta Reformatione. Ipſis Monachis S. Remigii Remenſibus Mabillonius ipſe epiſtolam imputat ſpuriam Benedicti ad Remigium epiſcopum, ſæculo I. Bened. in præfat. § 2.

Furtivæ hujus monetæ officinæ fuiſſe videntur, Corbeïa, S. Vincentii Pariſienſis ſive S. Germani verius cœnobium, San-Dionyſianum, Floriacum, Luxovium, in Italia Bobienſe, Caſinum, &c. De Bobienſi vide Italiam ſacram, tom. IV. in epiſcopis Bobienſibus. In Caſinenſes vide Baronii animadverſiones, occaſione corporis S. Benedicti.

Et Victorini nomen, ſub quo nomine exſtant Commentarii in Apocalypſim, et Hugonis ac Richardi Victorinorum, et

ipſum Auguſtini nomen ſuſpicionem injiciunt ſocietatis Victorinæ domus, cum reliquo impio agmine. Libri extra Bibliothecas Monaſteriorum aut nulli aut rari, uſque ad ſæculum XII. inquit Mabillonius, lib. I. de ſtudiis Monaſt. cap. XVI. pag. 136. Verius diceret, ne in illis quidem ante ſæculum XIV.

Multos Plinius in ſuo Opere ſcriptores laudat, quorum ſcripta interiiſſe dolemus. Neglexit ea antiquitas, ſervavitque dumtaxat e Latinis Plautum, Plinium, Virgilii Eclogas novem cum Georgicis; Horatii ſatyras et epiſtolas: e Græcis, Homeri Iliada et Odyſſeam, Herodoti libros novem. Neglexit alia plurima nihilominus egregia monumenta. An ergo alia innumera cuſtodiſſet, quæ jure merito ſpernunt eruditi ob tenuitatem argumenti, ob ſtili mediocritatem, aliaque vitia plurima; niſi quorum intererat hæc adſervari, ii curaſſent ea deponi in Bibliothecis, non hominum privatorum; nullas enim ii tunc habuere;
ſed

ſed Cœnobiorum, unde nihil ſolet niſi ægre diſtrahi? Intererat agminis impii non pauca ſcribi, quibus ſua fulciretur hypotheſis. Intererat igitur omnia ea etiam diligentiſſime adſervari. Invenere quomodo compotes voti fierent.

Quod de Joachimi libris dicitur in Concilio Arelatenſi anni 1260. pag. 511. edit. noſtræ; hoc de libris omnibus dici oportet, qui Patrum nomine inſcripti circumferuntur: *A majoribus noſtris uſque ad hæc tempora remanſerunt intacti* (ſcilicet uſque ad Wicleffum): *utpote* LATITANTES APUD QUOSDAM RELIGIOSOS IN ANGULIS ET ANTRIS, DOCTORIBUS INDISCUSSI: *a quibus ſi* RUMINATI *fuiſſent; nullatenus inter ſacros et* SANCTORUM CODICES *relati fuiſſent.*

Quam fraudem objicit Claudio Taurinenſi Jonas Aurelianenſis, hac utebantur iſti ex ſceleſta coïtione ſcriptores: nempe ut ſcripta ſua in Armariis callide relinque-

rent, poſteros infectura. Sic ille in præfatione librorum de cultu Imaginum: *De* hæreſi *Ariana fertur quædam monumenta librorum congeſſiſſe, et ad ſimplicitatem et puritatem fidei Catholicæ et Apoſtolicæ oppugnandam in* ARMARIO *Epiſcopi ſui clandeſtina calliditate reliquiſſe.* Mendax ſcriptor ſæculi decimi quarti vel quinti, factitatum fingit ſæculo nono, quod ipſe præſtaret.

QUOMODO ex ea ſceleſta coïtione nemo reſipuit, nemo arcanum retexit? Quia qui Deum negavit, vix reſipiſcit. Janſenianus hodie, qui quidem eruditionem præferat, quotuſquiſque ad bonam mentem redit?

XVI.

## XVI.

OMNES Bibliothecæ Monaſteriorum (nec vero aliæ uſquam fuerunt ante annum circiter 1370.) nihil aliud fuere ante inventam Typographiam, niſi totidem armamentaria atheïſmi et hæreſium, quæ ab annis jam trecentis Eccleſiam miſere vexant ac dilacerant.

UBI proferri hi libri in lucem cœpere circa medium ſæculum decimum quartum, excepta ſunt avide abſque ullo examine: ac celebratiorum quidem, et eorum quæ vellet agmen impium frequentius teri manibus hominum, curavit fieri multa exemplaria, quæ magno pretio diſtraheret. Jactabant illi eſſe apud ſe ſcribendi peritiam, in pingendis imaginibus induſtriam, quoniam ex inſtituti ſui ratione cordi ſibi eſſet opus manuum. Multorum tamen operum unicum adhuc in toto orbe, aut alterum exem-

plar exſtare certum eſt, quæ minus neceſſaria videbantur, aut difficiliora ad ſcribendum.

Erant manuſcripti omnes codices, ea ætate, æque ignoti, ac nunc ſunt ii, qui necdum ſunt extracti ex armariis. Nec ſtatim publicabantur, cum ſcriberentur; uti nunc ii qui typis eduntur: ſed reconditi extrahebantur poſt annos quinque, decem, aut plures.

In pergameno ſcribi libros oportuit, non in charta (quamquam tunc forte charta in uſu fuit): ſcilicet ut vetuſtiorem mentirentur ætatem, et ut diutius ſervari poſſent: nam libri in charta vetuſti aut evanidam habent ſcripturam, aut folia lacera.

Innumeri adhuc latent in Biblicthecis codices annorum fortaſſis fere quadringentorum (nulli ſunt enim, exceptis ſacris codicibus aliquot, vetuſtiores): qui lucem nondum aſpexerunt. An quia quadringentos

tos habent annos latebrarum, inde aliquam auctoritatem habent, quod per tot annos nemo hos falſi coarguerit? Stulte hoc diceretur.

MONUMENTA hodie multa in Caſtello S. Angeli Romæ incluſa tenentur, quæ juribus dicuntur ſummorum Pontificum habere multa contraria. Apoſtolicæ ſedis inimici jactitant imperite ea eſſe ſincera, uno eo nomine, quod ibi tenentur incluſa. Perinde quaſi ſincerum ſit quidquid Pariſiis vel in Chartophylacio Regio, quem Theſaurum Chartarum vocant, vel in Camera Computorum tenetur incluſum. Proh! quot in utroque inſtrumenta eſſe falſa nos ipſi deprehendimus! De manuſcriptis Bibliothecæ Vaticanæ vide prudens Baronii judicium, ad annum DCIV.

IN Gallia plerique ſunt manuſcripti codices Latini, pauci in Italia. E diverſo in Italia Græci multi, ſed recentiore manu ſcripti, hoc eſt, cura Theodori Laſcaris, et Principum

Principum Mediceorum. Corbeïæ in Picardia multi e Latinis ſunt exarati. Aïunt Itali Repertorium manuſcriptorum Latinorum eſſe Galliam. Hinc ſuſpicamur, libros Græcos plurimos, primum in Gallia ſcriptos eſſe Latine, quoniam eadem in utriſque impietas eſt: deinde in Italiam miſſos eos fuiſſe, ut ibi Græce redderentur, ſive Venetiis, ſive Mediolani, ſive Romæ, ſive in Regno Neapolitano. Inde poſtea et Conſtantinopolim pauci, et in Galliam multo plures reverterunt: ut ex Latinis in Gallia ſcriptis in Italiam pauci ſunt tranſmiſſi.

Egregium argumentum codicum Græcorum in orbe Latino deſcriptorum, atque in ipſa fortaſſis urbe Pariſiorum, codex Damaſceni eſt, qui creditur pervetus, apud Patres Dominicanos e vico S. Honorati: Nam in uno quaternione membranaceo ex una parte Græca ſunt Damaſceni, in altera plicatæ membranæ ſuperficie verſus Latini, cum illa ex quatuor partibus acroſtichide, quæ

quæ ſæculum ſapit decimum quartum vel quintum;

*Nitimur in vanum, dant auri pondera nomen.*

Iidem antiquiſſimi codices manuſcripti habent opera Patrum et quæ nunc genuina creduntur, et quæ ſuppoſititia coguntur eruditi confiteri, ob ſtili diſparitatem, aliasve cauſas. Hoc certe agnoſcunt de Athanaſii codicibus Benedictini, pag. 49. 72. 80. 238. et 667. tom. II. Iidem inter opera dubia ejuſdem quædam rejecerunt, de quibus nemo adhuc ita pronunciarat. Et iſtud quidem abſque culpa aliqua, aut eruditorum offenſione.

Lupus Ferrarienſis in epiſtola quinta, pag. 23. edit. Baluz. *Præterea ſcriptor Regius Bertcaudus dicitur antiquarum litterarum dumtaxat, quæ maximæ ſunt et unciales a quibuſdam vocari exiſtimantur, habere menſuram deſcriptam.* Indicat hic locus habuiſſe falſarios litterarum pro ſingulis

 ætatibus

ætatibus menſuram ac formam; nec pergamena et atramenta tantummodo habuiſſe, ſed et formam litterarum omnium ætatum, quam ſcribendo imitarentur: ut alius codex ſimularet aut ſimulare crederetur ætatem ſeptimi, octavi, noni, alteriuſve ſæculi.

Exemplum hujus ſimulationis et fraudis affert ipſe domnus de Monfaucon, in Palæographia, pag. 326. ex codice Regio 1884. membranaceo, qui continet Evangelia per annum eleganter ſcripta, anno 1336. ut in calce notatur. *Characterem,* inquit, *undecimi ſæculi* (quamvis decimo quarto ſcriberet) *imitatus eſt amanuenſis: at ii, qui codices manuſcriptos evolvere ſolent, vel primo conſpectu diſcrimen internoſcunt.* Artem ſuam non ſatis probe callebat amanuenſis ille improbus. Sæculum iſtud decimum quartum feraciſſimum præ ceteris codicum ſuppoſititiorum omnium ætatum fuit.

Pro manuſcriptorum codicum recenti ætate, mentientibus licet amanuenſibus, vel ipſis

ipſis potius artificibus, facit inter alia argumentum ex codice manuſcripto petitum S. Hieronymi, qui eſt in Bibliotheca Regia. Nam hunc ipſi etiam peritiſſimi æſtimatores conſpecto charactere ſancte aſſeverarent vix eſſe annorum trecentorum. Et tamen in fine ipſe amanuenſis Græce teſtatur, ſcriptum eum eſſe ante annos ſexcentos.

Hebraici manuſcripti nulli vetuſtiores creduntur eſſe annis quadringentis, hoc eſt, ſæculo decimo quarto, quo ſunt ſcripti depravatique omnes qui nunc habentur: quoniam in Hebraïcis characteribus non potuerunt, ut in Latinis, fingi forma Merovingica, Longobardica, Saxonica, &c. ſexti, ſeptimi, et octavi ſæculi, &c.

Bibliorum nulli manuſcripti in Bibliothecis, niſi elegantes, apprime et ſcite exarati, aurati, miniati; quia nulli ibi niſi corrupti, niſi quos intererat impiæ cohortis aſſervari in ſcriniis, ut ſuo tempore inde proferrentur. Vulgatæ editionis e contrario

nulla in Bibliothecis exemplaria ſunt; quoniam reipſa nulla ejuſmodi deſcribebantur niſi ad uſum: eadem uſu trita projiciebantur, ut ſit: antequam detererentur, ad alia deſcribenda exemplaria ſimilia, adhibebantur a librariis.

Recentem librorum ætatem eſſe ex eo etiam manifeſte liquet, quod cum ſtatim exarſerint Galli ſtudio diſcendi quæ ſcripta eſſent; tamen Bibliotheca Regia nulla fuerit ante Carolum V. cognomento Sapientem, Regem Francorum. Is, tum ex libris quos pater ipſius Joannes Rex moriens ei reliquerat, tum ex iis quos ipſe comparaverat, bibliothecam inſtituit voluminum circiter nongentorum: qui librorum numerus illis temporibus ingens fuit. At aucta deinde plurimum eſt a Franciſco I. et a Catharina Medicea; libris Florentia adductis ex Bibliotheca Laurentii Medicei. Sæculo decimo quinto ſeneſcente, Nicolaus V. Papa antiquitatis ſtudioſiſſimus Græcos conquiri libros curavit, ac reddi Latine

Latine. At anno 1304. non alios habet libros, quos legare poſſit Eccleſiæ ſuæ Simon Epiſcopus Pariſienſis, niſi *libros Capellæ ad uſum Pariſienſis Eccleſiæ*, ut legitur in Martyrologio ejuſdem Eccleſiæ, apud Du Bois, pag. 532.

Libri quos Stephanus Tampier Epiſcopus Pariſienſis legat Eccleſiæ ſuæ, anno 1279. hi ſunt; nec alii præter iſtos; ut habetur in Necrologio Eccleſiæ Pariſienſis, apud Du Bois, pag. 402. *Item dedit libros epiſcopatui Pariſienſi et epiſcopis ſucceſſuris ad Officium Eccleſiæ pertinentes: videlicet, duo Miſſalia, Evangelium et Epiſtolas in duobus voluminibus: tria Gradualia, Ordinarium Epiſcopale; item unum Collectarium, item unum Troperium: item unum Breviarium groſſæ litteræ ad uſum Pariſienſem: item unum Breviarium in duobus voluminibus coopertum corio viridi; item unum Breviarium parvum: item duo Ordinaria de ordinario ſervitii—Item emit Bibliam poſtillatam in duobus voluminibus, quam emit pretio ducentarum*

*librarum ad opus Cancellarii et Cancellariæ Pariſienſis.* Nec plura. Nullus ibi Auguſtinus, nullus Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Gregoriuſve apparet, nullus Magiſter ſententiarum, aliive ſimiles ſub magnis nominibus latentes, in perniciem ſacroſanctæ Religionis ficti ſcriptores. An careret illo ævo, ſi jam exſtarent, tot ſcriptoribus inſignibus Epiſcopus Pariſienſis, quos ante annos amplius centum habuit ac diligenter deſcripſit, qui pariter epiſcopus Pariſienſis fuit, ſi credimus, Petrus Lumbardus?

ANNO ſimiliter 1271. cum Pariſiis ſtudia fervere inciperent, legavit ibi Archidiaconus Cantuarienſis Cancellario Pariſienſi, libros ſuos omnes *Theologiæ, accommodandos pauperibus Scholaribus Pariſiis in Theologia ſtudentibus, et libris indigentibus.* Quatuordecim ea volumina ſunt, ſingula partem aliquam Bibliorum continentia, cum Gloſſa. Inſtrumentum integrum illius donationis exſtat apud Claudium Hemeneum, De

Academia

Academia Pariſienſi, pag. 55. 56. 57. Nullus ibi e Patribus, nullus e Theologis Scholaſticis, qui ante ſæculum decimum quartum ſcripſiſſe dicuntur.

Exstat ibidem, pag. 57. Catalogus alter *librorum, qui ſunt de armario B. Mariæ Pariſienſis*, acceptus ex parvo Paſtorali, quod ſcriptum non eſt ante ſæculum xiv. Sunt omnino octo et triginta volumina, ſimilis argumenti; hoc eſt, partes ſunt eæ totidem e Bibliis, eædemque gloſſatæ. Adduntur in fine, Sententiæ, et Quæſtiones Petri Pictavini. Omnino quadraginta fuere volumina: ingens, ut illis temporibus, theſaurus librorum. Nullus ibi e Patribus, nulla Eccleſiaſtica hiſtoria, nullus Theologus e Schola, præter unum.

Post captam Conſtantinopolim a Mahometo II. in Patriarchio Conſtantinopolitano fuere manuſcripti codices circiter quinquaginta, teſte Antonio Verderio, et poſt eum Antonio Poſſevino. Vide Domn. Mont-

 faucon,

faucon, pag. 20. In tota urbe, quamvis ampla, vix omnino centum et octoginta. Ibidem. Et nunc quid factum illis ſit, neſcitur. Ibidem.

In tota Græcia cis Byzantium, excepto fortaſſis Monte Atho, in quo quot libri ſint ignoratur, vix certo colligas ex deſcriptione domni Bernardi de Montfaucon, eſſe centum codices Græcos manuſcriptos. Ibidem, pag. 20 et 21. De reliquo oriente res eſt incomperta. In occidente autem, hoc eſt, in Italia, Gallia, Anglia, Germania, Batavia, dicit idem pag. 21. vix numerum ad viginti millia pertingere. Quanto plures quam in oriente? Nempe in occidente ſcripti fictique ſunt primum omnes.

Falsariorum cohors habuit in utraque lingua, Græca nimirum et Latina, alphabeta et atramenta, et pergamena omnium ætatum. Exemplum inſigne fraudis eſt, quod quæ exemplaria credi voluerunt eſſe nunc annorum fere mille, ubicumque ſint

ſint ſcripta, eamdem ſcriptionis formam, eumdem characterem exhibent, eo quod idem ſcilicet ante oculos alphabetum haberent ii, qui ea exſcriberent. Edita eſt anno 1712. Lactantii Epitome ex manuſcripto Bibliothecæ Taurinenſis. Specimen editor exhibuit litterarum, quibus codex eſt exaratus: idem prorſus character eſt atque in codice Regio epiſtolarum divi Pauli, qualem exhibuit domnus de Montfaucon, ad pag. 217. Palæographiæ; et in codice San-Germanenſi Pauli pariter epiſtolarum, ibidem, ad pag. 218. et in codice noſtro Evangeliorum quatuor. Adeo ſimilis ubique character eſt, ut una non modo ex officina, ſed una manu ſcriptos omnes codices iſtos jures: aut ſi a pluribus, certe ab iis, qui alphabetum idem ante oculos haberent, ſive formam litterarum, quam in ſingulis pingendis accurate ſervarent.

## XVII.

NULLA fuit publica hæreſis, nulla publica perſecutio fuit in Eccleſia, ex quo fundata eſt Eccleſia gentium, deletaque ſynagoga, uſque ad Wiclefum; qui primus libris uſus eſt ſub Auguſtini nomine aliiſque confictis ad Eccleſiam oppugnandam. Hic genuit primo Wiclefum, Wiclefus genuit Lutherum et Calvinum, Calvinus genuit Janſenium: nec alias fere hæreſes vidit orbis Chriſtianus.

QUÆ leguntur in libris hæreſes, fictæ ſunt; ut per ſpeciem eas oppugnandi, ſtabiliatur ἀθεότης. Sunt eæ omnes inexplicabiles et fatuæ, Manichæa, Ariana, Macedoniana, Eutychiana, Neſtoriana, Pelagiana, ac ceteræ omnes; ſi quidem Dei nomine, de quo in his hæreſibus ſermo eſt, verum Deum intelligimus, quem Catholici norunt et colunt. E contrario ſunt omnes eæ intellectu

tellectu faciles, ſi Deus ponitur non aliud eſſe niſi quem unum novit impietas; Ens entium omnium, aut Veritas formalis univerſalis omnis veri.

Et hæreſes quidem illas fictas fabuloſaſque eſſe ex eo etiam indicio liquet, quod jam nuſpiam in orbe exſtant, nec renovantur a quoquam: ſcilicet quoniam fatuæ et inſanæ ſunt, nec alio fine excogitatæ niſi ut ex adverſo tum in Conciliorum definitionibus, tum in ſcriptis adverſus eaſdem, impietas adſtruatur; Dei et Patris et Filii et Spiritus ſancti, aliiſque de Religione vocibus intellectis, ut a ſcriptoribus exponuntur, qui has ipſas definitiones conſcripſerunt. At quæ ſunt veræ hæreſes, ab hæreſiarchis et ab eorum aſſeclis propugnatæ, vix umquam, quæ nequitia hominum eſt, ſunt deſituræ, ut Lutherana, Calviniana, Janſeniana, &c. quoniam in ipſiuſmet vulgi intelligentiam cadunt.

Ecquis enimvero non miretur, eo ordine exortas eſſe hæreſes, quo diſponi poſſunt diverſi de Religione tractatus in ſcholis? Nam primæ hæreſes adverſus Trinitatem generatim, induxere vel octo æones, ut Ptolemæus; vel triginta, ut Valentinus; vel CCCLXV. ut Baſilides. Deinde de Deo Patre deliraſſe ſinguntur Marcion et Manes: de Verbi conſubſtantialitate Arius: de Spiritu ſancto Macedonius: de Chriſti unitate Neſtorius; mox Eutyches de duabus in Chriſto naturis; Sergius et Pyrrhus de duabus voluntatibus: Iconomachi, de Imaginum cultu; ac præſertim an imago Dei dici poſſit, quæ eſt imago Chriſti: mox diſputari cœptum eſt de præſentia Chriſti in Euchariſtia, de prædeſtinatione, &c.

Interest autem plurimum hæreſium omnium quæ nunc vigent, omni conatu defendere, non eſſe illas confictas hæreſes; quoniam e re eſt hypotheſis impiæ ea tueri, quæ contra illas hæreſes in Conciliis ſunt

ſtatuta, et in ſcriptis Patrum propugnata, ob conſenſionem cum illis in impietate. At numquam efficient, ut non ſumme fatuas hæreſes eas eſſe viris ſanæ mentis appareat, ſi quidem Dei et Verbi et Chriſti et Spiritus ſancti et ſubſtantiæ et perſonæ, aliiſque nominibus, id intelligatur, ut certe neceſſe eſt, quod fides docet, et Catholica plebs ipſa intelligit.

Cum Arianam hæreſim, vel Pelagianam, aliamve exſtitiſſe ullam negamus; non dicimus hæreticos non eſſe, ſi qui cum Pelagio et Ario ſentiant, quales illi deſcribuntur in libris. Immo vero, ſi qui tales fuerunt, non hæreticos tantum, ſed atheos fatuoſque fuiſſe eos audacter pronunciamus. Tantum negamus ullos iſtiuſmodi exſtitiſſe; et æque eos eſſe atque adverſarios, qui eos confinxere, abominandos.

Exemplum manifeſtum fraudis iſtorum, qua nempe fingunt fabuloſas hæreſes, ut veras adſtruant, apparet in Manuele Caleca,

ſcriptore (ut volunt) ſæculi decimi quarti; libro IV. præſertim contra Græcos. Nam ſic ibi impugnat eos qui negant Purgatorium, ut ipſe revera Purgatorium tollat: et de Euchariſtia ſimiliter et de proceſſione Spiritus ſancti hæretice ſentiat et ἀθέως. Eodem atque Calecas ingenio ſunt omnes ex eodem grege.

Vidit cohors impia rem ſibi feliciter ſucceſſuram, ſi ſuadere legentibus ac poſteris poſſet, uniuſcujuſque ſcriptoris de rebus divinis ſententiam, totius Eccleſiæ ſententiam eſſe. Non poteſt autem aliquid callidius ingeri pro dogmate totius Eccleſiæ, quam ſi publicetur damnata hæreſis ei contraria. Propterea tot fingi hæreſes oportuit, et tot ſynodos adverſus eaſdem, quot erant prava dogmata inculcanda: et ab omnibus illæ fuere et a ſingulis impugnandæ.

XVIII.

## XVIII.

MINUS acutis ingeniis, ſed de impietate tamen probe edoctis, datæ ſunt vitæ ſanctorum et Martyrum ſcribendæ, et hiſtoriæ. Et illæ tamen miris implicitæ ἐπεισοδίοις, unoquoque certante ut ſuam fabellam qualibet alia efficeret pulcriorem. Hinc ſunt in illis tot tamque manifeſtæ allucinationes, tot parachroniſmi, tot invicem pugnæ. Quædam adeo ingenioſe ſcriptæ, ut nihil diſſimile habeant hiſtoriarum; immo plus ſæpe probabilitatis, quam ipſum verum, præ ſe ferant. Quod fabulæ multæ in hiſtoriam tranſierint, vide locum ſatis egregium ipſiuſmet Baronii, ad annum 853. n. LXI.

PLANE neceſſe fuit et vitas ſanctorum et Acta Martyrum, æque atque Eccleſiaſticam hiſtoriam conſcribi: ut ex omni ſcriptorum ac monumentorum genere liquido appa-

reret,

reret, ſingulis Eccleſiæ ætatibus, doctrinam quæ in ſcriptis Patrum continetur, a viris ſanctis fuiſſe probatam traditamque, ac pro eadem retinenda Martyres innumeros vitam profudiſſe.

Fecerunt fictæ Martyrum hiſtoriæ, ut veri exſiſterent noviſſimis hiſce temporibus in Japonia, Braſilia, atque alibi toto orbe Martyres, Deo Opt. Max. bonum ex ipſo mendacio eliciente. Nam illæ hiſtoriæ legentibus inſpirant animos, ut ſimiliter Deo ſuo vel per maximos cruciatus ſe ſuoſque labores vitamque devoveant. Joannem Gerſonium aïunt ſcripſiſſe, fas eſſe ingenioſe fingere Vitas ſanctorum, quoniam ad pietatem fovendam plurimum eæ conferrent.

Quo ſæculo Romanicæ (ut vocantur) ſabulæ in Gallia ſunt ſcribi cœptæ, eodem et tot hiſtoriæ Eccleſiaſticæ et Vitæ ſanctorum ſunt confictæ. Non debet igitur mirum magis videri falſa ſcripta de dog-

matibus

matibus fuiſſe exarata, quam falſas vitas ſanctorum. Atqui iſtas eſſe conſtat innumeras. Nec magis dicendum eſt Eccleſiam eſſe deceptam, quæ illa Patrum ſcripta ante examen credidit eſſe genuina; quam dicendum eſt eamdem eſſe deceptam, quia in Breviarium precesſque publicas inſeri diu paſſa eſt mendacia, et fabulas de Honorio, de Georgio, de Catharina, aliiſque; quales et alias plurimas adhuc ibidem contineri, apud eruditos in confeſſo eſt.

XIX.

## XIX.

SI quis velit atheïſmum introducere, id debet facere callide, atque ita tamen ut ab hominibus ingenio valentibus nullo negotio agnoſcatur. An poteſt autem id quiſquam ſubtilius callidiuſque præſtare, quam præſtitum ab Auguſtino eſt, libro II. de libero arbitrio?

Audeo nihilominus dicere, facilius eſſe oſtendere omnes quos habemus ſcriptores, præſertim de rebus ad religionem pertinentibus (libros divinos certe excipimus) eſſe ſuppoſititios; quam unum aliquem ex ipſis eſſe ſuppoſititium. Longe enim magis perſpicua eſt omnium illorum inter ſe conſenſio, et multo clarius oculis ipſis patet, quam unius cujuſpiam illorum impietas, quantumvis illa clara et aperta ſit.

Innumera ſunt quæ opponuntur ex ſcriptis antiquis adverſus ſingula dogmata Catholica.

Catholica. Nec de ullo dogmate aliquo loquuntur accurate, niſi addas aliquid, quo trahas illos ſcriptores in bonum ſenſum. Atqui ſi addi neceſſe eſt id quo boni fiant, illud certe non habent. Ergo nihil boni habent. At peſſima ea ratio eſt benigne explicandi ſcripta illa peſſima, addendo voces ac ſententias quas non habent. Nam quod iſti non dicunt, hoc nec dicere, nec dictum creditumque a ſe exiſtimari voluerunt. Noluerunt aliud intelligi, quam quod dicunt aperte. Quod non dixerunt, hoc ſe non ſenſiſſe credi voluerunt.

Ad probandum quod Deus ſit, quod ſint tres in Deo perſonæ, quod Chriſtus Deus et homo ſit, quod ſit in Euchariſtia corpus et ſanguis Chriſti, quod ſit Purgatorium, &c. qui teſtimonia ex Patrum ſcriptis affert, idem facit, ac ſi quis ad ſuadendum canem cæleſtem latrare, vel taurum ibi mugire, teſtimonia proferat Aſtronomorum, qui canem et taurum ibi eſſe affirmant. Tam enim homonyma ſunt illa in ſcriptis Patrum,

ſi

ſi conferantur cum Eccleſiæ ſenſu; quam ſunt homonymæ illæ voces canis et tauri, cum de terrenis animantibus ſideribuſque dicuntur.

Quemadmodum qui animalia cenſent eſſe αὐτόματα, nihilominus ii receptis in uſu communi vocibus abutuntur; aïuntque canes ululare, ſentire, videre, audire; cum ſubjectas his vocibus ſignificationes καταχρηστικῶς tantum illis animantibus convenire contendant: ita qui pro Deo ſolam Naturam agnoſcunt et Naturale lumen, ſive Rectam Rationem et Juſtitiam et Sapientiam formalem, et Fatum; ii nihilominus et præſcientiam, et odium mali, et dilectionem veritatis, et ſimilia in Deo attributa ac nomina ſine ulla religione uſurpant. Sic ante iſtos *artifex Natura* a Plinio dicitur, lib. II. ſect. 66. qui Deum ſimiliter præter Naturam non novit. Et libro XVIII. ſect. 65. *Hoc illo menſe ſignum Deus habet.* et ſect. 60. *Antequam ſignum Deus*

*Deus dederit.* At libro II. ſect. 5. *Naturæ potentia, idque eſt quod Deum vocamus.*

Scripta illa, quæ Patrum vocantur, fomenta ſunt hæreſium omnium, præteritarum, præſentium, ac futurarum. Præteritas dico, Wicleſi, et ſcholæ ipſius. Præſentes, Lutheri, Calvini, Janſenii. Futuras addo ac poſſibiles, quod nulla eſſe hæreſis poſſit, quæ quidem diſcipulos ſperet, quin ſua ſenſa probet vetuſtis temporibus recepta fuiſſe. Id autem probare non poteſt, niſi ex ſcriptis iſtis, quæ omnia poſſibilium hæreſium capita complectuntur. Nulla enim hæreſis eſt, quæ (ſi quidem recte ratiocinetur) ſola poſſit niti ſcriptura ſacra: cum oſtendendum ei ſit, eo quo ab ipſa accipitur ſenſu ab aliquibus fuiſſe intellectam: alioqui non poteſt vel uni homini ſuadere ſic a ſe ut oportet eam intelligi. Ergo neceſſe eſt ut aliquot ſaltem ſæculis ſuam viguiſſe interpretationem oſtendat. Ridiculum enim audientes cenſerent, a Paſtoribus Doctoribuſve ſenſum ſcripturæ proponi,

proponi, veluti certum ac neceſſarium ad credendum, quem licet Catholicæ doctrinæ adverſum non poſſent oſtendere per ſæcula quindecim ante Lutherum vel Calvinum, fuiſſe cuiquam probatum. Idcirco Sociniani trium priorum ſæculorum Patres ſibi vindicant: alioqui non inventuri aut facturi dictorum ſuorum fidem. Ergo ſcriptorum iſtorum, quæ Patrum falſo dicuntur, juſta abolitio, hæreſium omnium extinctio eſt. Et prima deinceps cura eorum, quibus tutela fidei commiſſa eſt, hæc eſſe debet, ut ea diligenter expendantur; nec ulla eis auctoritas, donec inſtitutum de iis fuerit abſolutumque examen, in ſcholis tribuatur.

MARTINUS Steyaërt, in Theſibus Sabbat. pag. 45. Quæſt. de locis Theologicis: *Magnum detrimentum in rem Theologicam invexit enormis quædam veterum admiratio, et præſentium præ iis faſtidium.* Perdidere libri Auguſtini, aliique, Septentrionem integrum, et Orientem. Quid exſpectamus dum perdant etiam Occidentem? Quin ſtatim

ſtatim ii ſerio examini ſubjiciuntur, ut quam in ſingulis eſſe impietatem monſtramus, hæc univerſo orbi patefiat?

Quisquis igitur Catholicus eſſe non vult, hunc neceſſe eſt caſtra ſequi atheorum. Nam hæreſium omnium, quæ nunc ſunt notiſſimæ, Lutheranæ, Calvinianæ, Socinianæ, Janſenianæ, idem et commune principium eſt, Atheïſmus. Calvinus de Deo et tribus perſonis et Chriſto, ut ἄθεοι ſentit, toto opere de Inſtitutione; præſertim capite vi. n. 19. Totum ipſius doctrinæ peſtiferæ corpus eo principio nititur. Non aliquod unum dumtaxat vel alterum Catholicæ fidei caput oppugnant, ſed ipſam veri Dei exſiſtentiam; et, quod conſectarium eſt, omnem funditus religionem. Propterea non pauca quædam Scripturæ loca, ſed integram coguntur perpetuis ſuis in eam Commentariis, ſi fieri poteſt, corrumpere ac peſſumdare.

Par tergeminæ factioni, Lutheri, Calvini, et priorum, qui falſo Patres vocantur,

 verſutia

verſutia ac fallacia eſt in vocibus Catholicis alieno ſenſu uſurpandis: in nominibus, inquam, Dei, Patris, Filii, Spiritus ſancti, Chriſti, ſatisfactionis, meriti, et ceteris. Nec Lutherani cum Calviniſtis, aut hi et illi inter ſe diſceptabant alia de re, cum de Euchariſtia ageretur, quam utra pars plures Catholicorum voces uſurpare ſubdole poſſet, ſalvo errore, qui Chriſtum revera negat ibi adeſſe, panemque phyſice transſubſtantiari. Sed manet in paſtoribus Dei beneficio, manet in ipſis ovibus, præſertim vero manet in Eccleſia Romana verus illarum vocum intellectus; manet ibi veræ fidei traditio. Planum autem et impoſtorem dæmone ipſo tetriorem oportet, qui voces Catholicas non Catholico ſenſu uſurpet: qui tres hypoſtaſes, treſve perſonas, Patrem et Filium et Spiritum ſanctum, aliaque ſimilia dicat, et metaphyſicos dumtaxat conceptus intelligat, quos nemo atheus reſpuat.

Stultissimi mortalium Lutherani, Calviniani, Janſeniani, ſimileſque ſunt, qui teſtibus

teſtibus his egent, ut ſuas defendant hæreſes; hoc eſt, ſcriptis Patrum. Nam ſi hæc eſſe impia et conficta conſtiterit, nituntur baculo arundineo, quo ipſi configentur. Oportet certe illis æque conſtare de eorum ſinceritate ac vetuſtate, atque de epiſtolis Pauli, et Evangelio Matthæi: alioqui veriſimili tantum, atque adeo fallibili nititur fundamento ipſorum credulitas. Ergo imprudentiſſimi mortalium ſunt, qui teſtimoniis Auguſtini, Ambroſii, et ſimilium, ſecuros de ſua ſalute ſe eſſe arbitrantur; cum tamen conſtare nemini poſſit infallibiliter, aliterve, quam ex opinione vulgari, ea non eſſe ſcripta novitia et ab impiis fabricata; nec certe inſaniant, qui ficta ea eſſe affirmant; ſunt certe Catholici.

Verissime illud, ut cetera omnia, Chriſtus Dominus pronunciavit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, et quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Nam hæretici omnes hoc uno aberrant a vita æterna, quod nec Deum nec Chriſtum

 norunt,

norunt, ut Eccleſia Catholica, ſed verbo tenus. At ſuperabundo gaudio, cum intelligo, fidem quam, Deo donante, profiteor, ipſam eſſe, quæ per ſæcula tredecim priora perſtitit, nullis oppugnata ſcriptis, niſi atheorum, idque non ante ſæculum decimum quartum. Quis eam fidem cudit? quis propagari fecit, niſi Deus et Chriſtus ipſe? Nam ſi quis dixerit, eam potius, quæ in his monumentis exſtat, eſſe veram fidem; quæro quis noſtram poſtea condidit? quis perſuaſit? Fieri iſtud omnino non potuit. Præterquam quod ea certe vera fides non eſt, quæ conjuncta eſt cum atheïſmo, fraudibus ac dolis innumeris, adulterio ſcripturæ, aliiſque vitiis.

Percurre diligenter ſingula hæreticorum noſtri ævi dogmata: nullum ex his, ut jam diximus, aliquam habet divinitatis notam. In ſocietate mere politica abſque Deo poſſunt inſtitui tradique omnia, quæ ipſi docent; de Euchariſtia, de adminiſtratione Pœnitentiæ, de ipſa Chriſti ſatisfactione.

factione. E contrario, ut jam initio diximus, et iterum juvat inculcare, nullum eſt Catholicæ fidei dogma, quod non verum Deum eſſe doceat ac pro certo ponat. Inſtituere cœnam in memoriam paſſionis et reſurrectionis Chriſti etiam homo ſine Deo poteſt. Sub ſpeciebus panis et vini Corpus et ſanguinem Chriſti ponere, Natura non poteſt: ſolus Deus poteſt. Ergo hoc Chriſtus fecit. Voluit enim ex ſingulis religionis ſuæ dogmatibus colligi poſſe, Ergo Deus eſt aliquis verus, qui hoc inſtituit vel præcepit. Prævidit enimvero fore, his præſertim noviſſimis temporibus malis, homines qui Deum quidem prædicarent, ut rogum evitarent; Dei autem nomine nihil aliud intelligerent, niſi Naturam rerum, leges motuum immutabiles, ſecundum quas ordinarie ſunt quæcumque ſunt in univerſo. Eam ob rem ad tutandam fidem et ideam divinitatis veræ, docuit Deus ſe ſubſiſtere in tribus perſonis diſtinctis realiter; id quod ſoli vero Deo poteſt convenire. Fecit et facit quotidie miraculum phyſicæ Tranſub-

ſtantiationis; quod ſolus Deus verus poteſt efficere. Dat ſacerdotibus poteſtatem pœnitentes abſolvendi ac juſtificandi: ſolus poteſt verus Deus dare talem poteſtatem hominibus. Præcipit ſub pœna peccati mortalis obſervationem diei Dominicæ: hanc ſolus Deus verus ſic poteſt præcipere.

Si Deus eſt aliquis, ut eſt profecto, noſci ſe vult certe et coli ab hominibus. Ergo docere ipſe debet, quomodo ſe coli, qualem ſe noſci velit. Ergo docere debet homines, per quos ipſe poſſim doceri, quos poſſim ego interrogare. Et illi a Deo docti homines, proprio nomine Eccleſia appellatur. Et debent illi infallibiles eſſe: alioqui perinde ſe res haberet, ac ſi non curaret Deus ſcire homines, quomodo ſe ab ipſis coli velit. Debet illorum hominum ſocietas ſemper ſtare, ſemper eſſe infallibilis; quamdiu erunt homines docendi, quemadmodum ab ipſis ſe coli Deus velit. Ab Eccleſia ergo docendi ſunt homines, quæ vera ſit de Deo cognitio, et quæ vera morum diſciplina.

Erat

Erat illa Eccleſia, quando Calvinus et Lutherus fuere juvenes, ac propterea docendi de cultu Dei. Ab ea autem doctrina receſſerunt poſtea, et abduxerunt ſecum maximam multitudinem. Redire ad priſtinam ſocietatem infallibilem eos oportet, quam ſtulte deſeruere; aut neceſſe eſt eos errare, ac errando demum perire. Hæretici, qui nolunt audire Eccleſiam, ex doctrina dignoſci aïunt oportere quæ vera ſit Eccleſia. Perinde quaſi hoc homines poſſint præſtare, prius quam docti ſint, et maturæ ætatis viri. At juvenes ipſi et pueri debent velle doceri, et eos oportet recte doceri, quomodo ſe Deus coli velit: ergo a majoribus. Prius eſt eſſe Chriſtianum, quam doctum. Pueros, inquam, ipſos et adoleſcentes oportet eſſe fideles. Fides autem ex auditu, non ex multis litteris. Ergo ſi qui facti ſunt majores et docti, ii tunc ex ſua doctrina vel peritia velint mutare aut pervertere quæ iidem pueri et adoleſcentes didicerunt, impii ſunt. Aliud quippe volunt credi, quam quod ipſi docti ſunt ab hominibus,

quos Deus et Chriſtus per Apoſtolos idcirco docuit, ut alios idem docerent, et hi deinde alios, alioſque. Hoc eſt velle fidem perdere ſemel acceptam, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Omni ævo dixit Deus cuilibet homini adulto, et de vera religione indaganda ſolicito: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, et annunciabit tibi; majores tuos, et dicent tibi:* Deut. xxxii. 7. A domo et familia Noë cœpit nova ſocietas de vera religione interroganda ab omnibus hominibus. Permanſit ea in poſteris Noë, ſaltem iis ex quibus duxit ortum Abraham; ſed et in aliis, unde prodiere Melchiſedech, Abimelech, et multo poſtea Job. Qui ad idola colenda defecerunt, hos oportuit quærere an ſic majores, Noë videlicet, aliique vixiſſent. Statim a patre ſuo aliiſque majoribus ſuis diſcerent, unum Deum verum coluiſſe eos et coli a ſe proinde debere. Quin immo probe ſciebant, deſeruiſſe ſe Deum patrum ſuorum:

ſuorum: vivebant enim adhuc ipſi filii Noë, Sem, Cham, et Japheth, cum liberis ſuis: qui etiam ipſi, ſi interrogarentur, reſponderent, aut adhuc ſe colere Deum, ut eum coluerat pater ſuus Noë, et ut ab ipſo colendum eſſe Deum didicerant; vel cultum illum, quem a Noë didiciſſent, ſe deſeruiſſe; in quo eſſent manifeſte reprehendendi. Sic eſt hodieque Religio Catholica. Societas eſt nota omnibus hominibus, civitas in monte poſita; quæ cœpit a Petro, in Petro deſinet: hoc eſt, in Sede Apoſtolica, et qualibet Eccleſia communicante cum ea. Cœpit illa ſocietas Hieroſolymis, ſed a Petro: ipſo ſolo prædicante, velut capite et paſtore univerſali. Exinde perſeverat in ſummo Pontifice, velut Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ (ſic enim, ut jam diximus, ſemper ſubſcribit): et in qualibet Eccleſia particulari, communicante cum ipſo. Hoc didicere juvenes Lutherus, Calvinus, aliique: hoc ſervare debuere ſenes, quod juvenes didicerant. Cuilibet eorum aſſectatori nunc jure dicitur: *Memento dierum antiquorum,*

*cogita*

*cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, et annunciabit tibi; majores tuos, et dicent tibi.* Majores illos qui deſerunt, tam ſunt damnandi, quam fuere illi certe damnatione digni, qui cultum veri Numinis, qualem a Noë ſcirent fuiſſe obſervatum, deſeruere, ut idolis ſervirent.

## XX.

SED jam finis eſto de hoc argumento dicendi generatim: ut Cenſuram aggrediamur tamdem aliquando ſcriptorum, quæ Patrum eſſe vulgo exiſtimantur. Fas eſſe de ſcriptis hujuſmodi Cenſuram inſtituere, ni fallimur, evicimus: et ſic ſentire eruditos Catholicoſque viros, qui hæc legit, adhuc intelliget ex verbis jam laudati a nobis viri docti, Antonii Gallonii, Preſbyteri Congregationis Oratorii Romæ, in Apologetico pro Cardinale Baronio, adverſus Conſtantinum Bellottum Monachum Caſſinenſem, edito Romæ ex Typographia Vaticana,

anno

anno 1604. pag. 9. *At docendus tu, Conſtantine, docuiſſes, qua diſtinctione ipſa dicatur ſancta Romana Eccleſia probare libros. Non enim (ut putas) omnes quos Eccleſia probat libros, eos firmiſſimæ eſſe vult auctoritatis, ut ſunt Hagiographa, ipſa videlicet ſacra ſcriptura, quæ ex libris conſtat, quos canonicos appellamus: quorum dumtaxat illud eſt privilegium, ut ſalva fide Catholica nihil ex iis, quæ ibi ſunt ſcripta, in dubitationem liceat revocare: ceterorum autem receptorum ab Eccleſia librorum ſecus; etiamſi* IPSORUM *ſint* PRÆCIPUORUM ECCLESIÆ MAGISTRORUM, *quos præ dignitate nominamus* DOCTORES ECCLESIÆ, UT AUGUSTINI, HIERONYMI, AMBROSII, *atque* GREGORII.

Pag. 10. *Diſce igitur, Conſtantine, quibus ſcriptis ejuſmodi prærogativa debeatur; nempe tantum canonicis, ut nihil ex eis debeat in controverſiam revocari: de reliquis, minime: ut caveas, ne rurſum in ejuſmodi monſtruoſos errores impingas; ſed ſcias ſic probari ab Eccleſia Romana cujuſcumque ſcripta* AB

IPSA RECOGNITA, *ut nihil in eis contra fidem Catholicam vel bonos mores conſcriptum habeatur. Ceterum ſi quid* MINUS VERUM *inſit in eis, cuicumque volenti redarguere liberum eſſe ſinit.*

PAG. 11. *Sed quod paulo poſt in fine paginæ univerſe ita pronuncias:* "Cum ergo "Eccleſia approbet, quæ in ſuo ſervantur "SCRINIO, et ex eo hauſerit Joannes, quæ "de beato Gregorio conſcripſit; luce clarius eſt, ea quæ ſcripſit, Eccleſiam comprobaſſe, ſaltem quoad fidem hiſtoriæ "ſpectat." *Hæc tu, Conſtantine, cum dicis, propemodum facis ut tui cauſa erubeſcamus, cum etiam ipſum totum ſcrinium Apoſtolicum velis efficere Hagiographum, ut nihil ex iis, quæ in eo reperiuntur, erroris argui poſſe contendas. At ubi* TOT SURREPTIONES, *quas nolens et invita Sedes Apoſtolica jugiter pati ſolet? Solius Dei eſt, qui cor intuetur, his poſſe carere; et in omnibus rebus, quæ deferuntur ad tribunal Eccleſiæ, cognoſcere et diſcernere falſum a vero: homines vero, et ipſum*

*ipſum etiam Papam* IN HIS QUÆ SUNT FACTI, *falli poſſe et decipi, quis neſciat?*

HACTENUS dicta ſufficiant veluti Prolegomena quædam, præmittenda lectioni cenſuræ noſtræ, qua liquido apparebit, ut ſpero, tot operum Dogmaticorum et Hiſtoriæ (ut vocant) Eccleſiaſticæ, eo ſpectaſſe opifices, ut Religionem totam, ſi poſſent, funditus peſſumdarent: ex Tractatu autem noſtro de Antiquis Numiſmatibus Regum Francorum, ſuſceptum ab impio cœtu illud conſilium, meditatumque ſub principatu Philippi Auguſti, cœpiſſe tunc apparere; multo vero magis ſub Philippo Pulcro, et ſub Valeſio: creviſſe deinde propemodum in immenſum per annos amplius centum quinquaginta.

FINIS.

PA
3002
.H47
1744

410286

12814

Cf
AF